




Zur

Gräfl.vom Hagen'schen

Majorats - Bibliothek



MÖCKERN

gehörig.

N^o 530

~~1011~~

002

DE DONATIONIBVS
METHODICVS
TRACTATVS, OM-
NES DONATIONIS SPE-
CIES, IVSTO ORDINE DISPOSITAS,
& plerasq; insigniores difficultates, quæ in hac
materia incidunt, earumq; explicatio-
nes breues continens.

*Nova item repetitio l. 4. C. de condit. indeb. & 6. Gl. Instit.
De obligat. quæ quasi ex contract. nascuntur.*

Adiecta est etiam Doctissimi I. CUIACII de actionum
concurſu Obseruatio, iuris fundamentis ab eo
breuitatis ergò omiſſis, diligenter ad
commodum studioſorum iuris
confirmata & illustrata.

AVTHORE HENRICO BOCERO I.V.D.



✻ B & D ✻

Typis Bernardi Albini, An. 1687.

*Johannes
Ernestus
ab Hagen.*



154 518


L 43,



MAGNIFICO ET
CONSULTISSIMO VI-

RO, DOMINO IOANNI SCHVL-
thero. I. V. D. eximio, Illustrissimi
Principis, Ducis Wirtembergici,
&c. Cancellario dignissimo,
Domino, & affini suo
honorando

*HENRICVS BOCERVS I. V. D.
S. P. D.*



Vm nihil sit in
vlla, quæ ratio-
ne suscipitur,
rerū tractatio-
ne præclarius
Dialectico mu-
nere & instru-
mento, Magni-
fice & Consul-
tissime vir, affinis honorande, illud po-
tissimum ad tradenda & enarrāda iura

*

2

P R Æ F A T I O.

nostra accersendum adhibendumque
esse, planè arbitror. Tanta est enim, in
ipsis iuris nostri libris complurimis, re-
rum innumeris ferè legibus, paragra-
phis & versiculis propositarum copia:
Tam crebra earundem repetitio & mu-
tatio: Tanta sententiarum, propter va-
rias ipsarum exceptiones & restrictio-
nes, variis etiam sub titulis expositas,
incertitudo quemadmodum & ipse la-
uolenus Iurisconsultus rectè fatetur,
vbi ait, Omnis definitio (id est regula &
sententia) in iure ciuili periculosa est:
parum enim est, vt non subuerti posset:
Tanta item, à Iustiniани quoque sacra-
tissimi Principis temporibus, quantum
præsertim ad legum, ipsarumque rerū
cuiusque tituli dispositionem attinet,
confusio & conturbatio, vt planè ob id
difficile & obscurum sit ius nostrum, &
summo cum animi labore addiscendū,
quinimò rarissimè principia & solida
fundamenta ipsius satis probè ab vllō
discipulo percipi queant, nisi beneficio
& ministerio logicæ, sub titulis & capi-
tibus singulis, certæ ex textibus iisdem
& læ-

P R Æ F A T I O.

& sæpiùs iteratis positiones constituan-
tur definitiones & diuisiones accura-
tæ integræque, singulis fideliter expen-
sis, cōponantur, & hæc omnia diu mul-
tumque ad amussim legum examina-
ta, in veram & naturalem methodum
conuocentur & cogantur, generalibus
scilicet enunciatis primo, subalternis
pro naturæ suæ claritate proximo, & tã-
dem specialissimis vltimo loco propo-
sitis, vt singularum materiarum indubi-
tatæ propositiones, certæ regulæ & ex-
ceptiones, quasi articuli catenarū suo
loco cohæreant, nec vna ex principali-
bus salua methodo alicubi abesse pos-
sit. Hac ratione & modo vt alij nonnul-
li ex interpretibus nostris, quibus hoc
nomine cum ingentes tum etiam æter-
nas, non solum cupida legum iuuētus,
sed & adultior quisque iuridicæ disci-
plinæ cultor, gratias meritò agit, iura ci-
uilia explicarunt: sic & ego ex aliquot
nunc annis pro virili parte variis in ma-
teriis idem si non præstiti, studiosè ta-
men conatus fui. Præter reliqua enim,
quorum quædam typis excusa eodem

*

P R Æ F A T I O.

hoc tēpore ad hominū ora perueniūt.
 Donationum quoque materiā ad logi-
 cas regulas perstrinxi, ita vt omnes do-
 nationis species & difficiliore quasque
 in hac materia occurrentes quæstiones
 non solum fideliter collegerim, sed e-
 tiam ad amussim legum diligenter ex-
 pēderim, & examinarim: quo factum,
 vt quandoque Doctorum nostrorum
 errores & lapsus detegere & ostendere
 coactus fuerim. Quia etiam hic de do-
 nationibus tractatus meus brevis est, i-
 deoque illi nouam repetitionem. l. 4.
 C. de condi. indebi. & §. vltim. Instit.
 de obligat. quæ quasi ex contract. nasc.
 superiori hyeme à me confectam: Item
 doctissimi Cuiacij obseruationem de
 actionum concursu, fundamentis iuris
 ab eo breuitatis ergo omissis, opera
 mea illustratam adiungere volui. Quā-
 doquidem verò Magnifice & Consul-
 tissime vir, affinis colendissime, ex eo tē-
 pore, quo in Dominationis tuæ fami-
 liaritatem veni, multam erga me, meos
 que beneuolentiam, studium & officia
 tua perspexerim, nec quicquā sit, quod
 pro

PRÆFATIO.

pro salute & commodo meo meorum-
que, atque adeò tuorum in rebus hone-
stis tentare dubites, ideoque hãc opel-
lam meam formis typographicis im-
pressam, Magnificentia tuæ in symbo-
lum gratæ mētis offero dedicoque. Est
quidem, fateor, exiguum hoc pro ma-
gnis beneficiis munusculum: sed cum
graues viri illud ξενίων δὲ τὸ θυμὸς ἄριστος
cogitare soleant, spero quaecunq; hoc
sit, quod mitto, Magnificentiam tuam
æqui bonique cōsulturam, & animum
potius mittentis, quam ipsius rei pre-
tium spectaturam. Idque vt faciat ma-
iorem in modum peto. Bene vale Ma-
gnifice vir, & me meosque tuo amore
& fauore complecti perge. Tubingæ
22. Iulij, anno M. 15. LXXXVII.



DE DONATIONIBVS
METHODICVS
TRACTATVS, OMNES
DONATIONIS SPECIES IVSTO
ordine dispositas, & plerasq; difficul-
tates, quæ in hac materia inci-
dunt, earumq; explica-
tionem conti-
nens.

CAPVT PRIMVM.
QVID SIT DONATIO.
SVMMARIVM.

- 1 **D**onationis definitio eiusq; explicatio.
- 2 Donatio variis fit modis.
- 3 Donatio generaliter malè definitur con-
uentio: peius contractus.
- 4 Donatio nudo consensu facta contractus
non est.
- 5 Donatio traditione perfecta contractus

A

non est, sed dominij acquisitio de iure gentium.

6 *Donatio causa mortis est dominij acquisitio civilis.*

7 *Donatio simplex olim erat civilis acquisitio dominij.*

8 *Donatio simplex nudo consensu dominij acquisitio non est, licet hoc quidam velint.*

9 *Donatio quando contractum contineat.*

10 *Donationis forma, siue specifica differentia, eiusq; explicatio.*

11 *An teneatur aliqua actione, cuius dissuasus impedita est donatio.*



Donatio dicta est à dono, quasi dono datum, rapta à Græcis. Nam hi dicunt δῶρον καὶ δῶρεινός, id est, donum & donare.

1. Senatus censuit. 35. §. j. D. de mortis causa donat. Est autem donatio actus, ad donum in aliquem cōferendum affectus. Dico generis loco. *Actus*, Nam verbum illud generale est, omnia comprehendens, quæ quouis modo aguntur.

QVID SIT DONATIO.

tur. l. Labeo. 19. D. de verbor. significa.
 l. actus. 8. C. de feriis, l. heredes. 21. in fi.
 D. de testam. l. actus. 77. D. de regu. iur.
 l. duos. 6. in fin. D. de duobus reis. l. sti-
 pulatio ista. 28. §. in stipulationib. l. eum
 qui. 41. in princip. D. de verbo. obligat.
 l. non omnis. 19. in prin. D. de reb. cre-
 dit. l. 2. l. eum actum. 17. D. de nego. ge-
 stis. l. obseruare. 4. §. rectè enim. D. de
 offi. præf. vigil. l. vlt. in princ. D. com-
 munitia prædior. Et eiusmodi generale
 verbum generis loco requirit dona-
 tio, quippe quæ variis modis peragi-
 tur.

2 Aliquando enim fit donatio *νό-
 νομεγών* hoc est, sola pollicitatione absq;
 conuentione, vt in casu. l. si quis dona-
 uerit. 13. C. de sacrosanct. eccle. & l. hoc
 iure. 19. in prin. D. de donationib. Item
 tot. titu. D. de pollicitationib. aliquan-
 do verò mediante cōuentione, hoc est,
 consensu vtrinque interueniente, sine
 quo etiã fieri nequit, siue inter præsen-
 tes, siue inter absentes per epistolam,
 vel nūcium peragatur. l. 2. §. sed si quis.
 l. 4. l. absenti, 10. l. nuda ratio. 26. D. de

A 2

4
 donationib. l. nec ambigi. 6. C. d. tit. Et
 hoc casu, quo conuentionem in se ha-
 ber donatio, perficitur vel traditione. l.
 qui saxum. 6. l. ult. §. Lucius. D. de dona-
 tion. l. quotiens. 15. C. de rei vindicat. l.
 tradita. 5. C. de his qui à non domi. Vel
 stipulatione. l. 2. l. si ita stipulatum. 17. l.
 qui id. 33. & l. sequen. D. de dona. l. mor-
 tis causa capitur. 31. l. mortis causa dona-
 tio. 34. l. Senatus. 35. §. si duobus. & §. se-
 quen. D. de dona. mort. cau. l. si quis ar-
 gētum. 35. §. sed si quidem in omnibus.
 D. de donat. Vel perficitur etiam nudo
 pacto. l. quo bonis. 15. in prin. D. ad legē
 Falcid. l. in ædibus. 9. in prin. D. de do-
 natio. d. l. si quis argētū. 35. §. sed si qui-
 dem in omnibus. C. d. t. Vel per contra-
 ctum innominatum, puta per articulū
 illum, Do, vt facias. l. 2. §. Titio. l. Ari-
 sto. 18. §. j. D. de donatio.

3 Donatio itaque à quibusdam ge-
 neraliter malè definitur conuentio, pe-
 ius verò contractus conuentio non est,
 cum sit pollicitatione. Nam conuētio
est duorum vel pluriū in idē consensus.
l. j. §. conuentionis verbum. D. de pact.
 Pollicita-

QVIV SIT DONATIO.

Pollicitatio verò est solius offerentis promissum. l. 3. in princi. D. de polliciti.

4 Cōtractus quoque non est, quādo peragitur nudo pacto, licet hoc Balduinus existimet in Iustiniano suo fol. 351. alij alibi ferè omnes, sed falsò. Nam aliud est contractus, longè aliud pactū, vt docui in enarratione. l. contractus. D. de regul. iur. cap. j. Et pactum donationis hodie ex constitutione Iustiniani est legitimum. Nam legitimum pactum est, quod lege aliqua cōfirmatur. l. legitima. 6 D. de pact. Pactum autem donationis confirmatur constitutione Iustiniani Imperatoris. d. l. si quis argentum. 35. §. sed si quidem in omnibus C. de donation. & §. aliæ autem donationes. Institut. dict. titu. Olim non potuit solo pacto donatio perfici, sed necessaria erat mancipatio, vel traditio, vel stipulatio, nisi ea fieret inter parentes & liberos, inter quos ex diui Pij constitutione nudo pacto donatio facta valebat l. 4 5. & 7. C. Theod. de donationib. Paul. lib. 4 senten. titu. j. Hodie verò ex Iustiniani constitutione etiam inter ex-

traneos nudo pacto donatio rectè fieri potest.

5 Porro neque etiam donatio contractus est, quando perficitur traditione. Contractus enim parit obligationē. l. Labeo. 19. D. de verb. signi. §. sequens diuifio. Instit. de obliga. l. j. §. j. D. de obligatio & actio. Donatio autem quando celebratur mediante traditione, obligationem non parit. l. 3. §. j. d. tit.

6 Donatio itaque hoc casu contractus non est, idque etiam expressè docet Paulus I. C. in l. interdictum. 14. D. de precario. Sed est hoc casu de iure gentium acquisitio dominij. §. per traditionem. Institu. de rer. diui. Denique donatio non est contractus, quando fit mortis causa, sed eo casu est modus acquirendi dominium iure ciuili. Primò enim numeratur inter modos acquirendi in l. 2. iuncto §. vlti. l. is j. D. de publi. in rem act. Deinde quia comparatur hæc donatio legatis. Institut. de donat. in princ. l. vlt. C. de dona. mort. causa. l. 2. D. de publi. in rem act. Legatis autem absque traditione iure ciuili dominiū acquiritur,

acquiritur, si testator suas res non alienas leget. l. j. & 2. C. communia de lega. l. j. in princi. D. de public. in rem actio. Donatio itaq; mortis causa est dominij acquisitio ciuilis: idq; etiam docet Cuiac. li. 10. obser. c. 28. Quare propter hanc donationem, mortis scilicet causa, numerat Iustinian. Imp. donationem inter modos acquirendi dominium iure ciuili, sub tit. Insti. de dona, in princ. Qua ratione etiam primum de mortis causa donatione ibidem tractat. Deinde verò incidenter de aliis donationis speciebus. Quando verò quæuis etiam alia donatio sit traditione, donatio non est modus acquirendi dominium iure ciuili, sed iure gentium. §. per traditionem. Insti. tit. de rer. diuis.

7 Olim etiam simplex donatio facta traditione erat dominij acquisitio ciuilis. sc. cum fiebat per traditionem nexi: siue per mancipationem. l. 4. & 5. C. Theo. de dona. Cuiac. d. libro 10. obserua. c. 28.

8 Hodie etiam simplicem donationem nudo consensu factam ex Iustiniani constitutione genus esse acquisitionis ciuilis, velle videtur idem Cuiac. in nouis. notis

ad Instit. tit. de dona. in prin. quod non placet. Nō enim rei vindicatio donatario datur ad consequendā rem donatā, sed condictio ex lege, si nudo cōsensu: vel actio ex stipulatu, si mediante stipulatione facta sit donatio Nouel. 162. c. j. & §. sancimus, & ibi Cuiac. l. si quis argentum. 35. C. de dona. Præterea etiā donatione obligatio cōstituitur efficax, §. aliæ autem donatio. Insti. de dona. & d. l. si quis argētum. 35. §. sed & si. & §. seq. C. d. t. Obligationū autē substantia nō in eo cōsistit, vt aliquod corpus nostrū, aut seruitutē nostram faciat, sed vt aliū nobis obstringat ad dandū aliquid vel faciendum, vel præstandū. l. 3. D. de oblig. & act. Donatio itaq; simplex absque traditione facta, sed nudo cōsensu, modus acquisitionis dominij nō est. Ex his itaq; omnibus intelligitur, donationis genus esse actū, non conuentionē, non contractū, siquidē, vt ostendi, aliquādo neque sit conuentio, neq; contractus.

9 Contractum ramen cōtinet donatio, cū stipulatione perficitur, quæ contractus est. l. j. §. fin. D. de pact. l. non solum.

QVID SIT DONATIO.

solum. 31. de obli. & act. §. si. Insti. de oblig. Item cum sit sub lege aliqua, illique negotium aliquod est immixtum. l. cōtractus. 17. C. de fide instru. l. Aristo ait. 16. in prin. D. de dona. & tot. r. C. de donat. quæ sub modo, & c. puta, dono tibi mille, vt mihi alimēta præbeas. l. j. C. d. tit. Dono tibi seruum, vt eū post quinquēnium manumittas l. Aristo ait 18. §. j. D. de dona. Dono Senatui centum, vt me ad honorē promoueat l. hoc iure. in prin. D. de donatio. Et tantum de genere donationis.

10 Dico præterea in definitione formam siue specificā differentiam donationis exprimēs, *Ad donum in aliquē conferendum affectus.* Hæc est vera & perfecta donationis forma omnes donationis species cōpræhendēs. Siue enim donatio fiat pollicitatione, qualiter, vt supra ostēdi, certis casibus perfici potest, siue fiat traditione, siue nudo pacto, siue stipulatione, siue sub aliqua lege. Itē siue donetur res corporalis, siue incorporalis, veluti vsus, vel habitatio, vel prorogatio solutionis, de qua donatione in l.

A 5

in ædibus. 9. D. de dona. vel debitor acceptilatione liberetur, de qua in l. si in stipulatum. 17. D. d. t. vel illi futuri temporis vsurę remittantur, aut minuatur, de qua in l. Modestinus. 23. D. de dona. vel actione alicui cedatur. l. j. l. 2. C. d. t. Semper is donationis actus est affectus ad donum in aliquę conferendū. Dico etiam ideo notabiliter *affectus*. Nā licet donator vel donatarius nō suo proprio nomine donationē nuncupēt, sed venditionē fortē, aut cōductionē, aut trāsactionem cognominent, hoc tamen aucto tacitē, vt donatio sit, vt puta si donationis causa fiat venditio, aut cōductio imaginaria. l. si quis conduxerit 46. D. loca. l. si vsusfructus. 66. D. de iure dot. l. 3. C. de contrah. empt. donatio reuera est. Nam donationis nomen per se solū non facit donationem, sed mens dātis & accipientis. l. ex conducto. 15. §. Papi- nianus. D. locati. Atque hic etiam in l. donatio. 25. C. de donationib. sensus est horum verbotum, *Siue animo dantium accipientiumue sententijs, quantum ius finit cognominata*. Cuiac. libro 20. obseru. cap.

cap. 4. vbi legis illius verba obscura omnia diligēter & perspicuē explicat. Dico autem *Donum*, non dico *liberalitatē*. Nam liberalitatis nomen pertinet tantum ad propriam & absolutā donationem, non etiam ad alias donationis species. l. j. D. de donatio. Appellatio autē doni comprehendit tam donationem, quæ fit sub causa, quàm quæ ex mera liberalitate sine vlla conditione & causa exercetur. l. inter donum. 194. D. de verbor. & rer. signific. Non incidit hæc donationis definitio in mutuum, commodatum, depositum, aut precarium. Licet enim mutuum quoddam contineat in se donum, siquidem sit gratuitum. c. consuluit. de vsur. quemadmodum etiam commodatum. §. item is. Instit. quibus modis re contrah. obligat. l. 3. §. rem tibi dedi. D. commodati. Item depositum gratuito sine mercede suscipiatur. l. j. §. si vestimenta, & §. sequen. D. depositi. Et qui tenet precario rem alicuius, liberalitate illius vtatur. l. 2. §. j. D. de precario. Ipsum tamen mutuum, ipsum commodatum, depositū

II CAPVT I. QVID SIT DON.

& precarium per se donatio nō est, sed circa hæc negocia versatur aliqua donatio, gratuitus scilicet vsus, vt in mutuo, commodato, & precario, vel gratuita opera aut officium, vt in suscipiēdo deposito. Sed hæc liberalitas hīc non ita attenditur, vt ipsa principalia negocia donationis dici possint. Et hæc de donationis definitione. Quia autem omnium donationis specierum cōmunis est hæc quæstio, An quadam actione teneaturis, cuius dissuasū impedita est donatio, hoc loco remitto lectorem ad quæstiones iuridicas D. Pilei Medicensis, qui hanc quæstionē tractat quæstione 27. vbi distinguit inter eum, qui fraude dissuadet donationem fieri, & eum qui saltem cōsiliū absque fraude dat amico volenti donare, illum tradit teneri actione doli, vel in factū actione: hunc verò non item. Textus est in l. Lucius Titius. §8. §. Sempronia. & ibi glo. Bart. Bald. & alij. D. de legat. 2.

CAP.



CAPVT II.

DE DONATIONIS

diuisione.

DOnatio autē duplex est: aut enim propriè est donatio, aut non propriè. l. 1. D. de donatio. Illa dicitur etiam vera & absoluta donatio. l. senatus 35. §. sed mortis causa. D. de mort. caus. donat. item simplex donatio. l. filia. 20. §. si pater. D. famil. ercisc. l. cum multæ. 20. §. simplices etenim. C. de donatio. ante nupt. l. illud. 20. §. ad hæc. C. de collatio. Item donatio directæ. l. donatio. 35. C. de donatio. Item donatio communis. l. sancimus. 34. in prin. C. d. t. Hæc verò non propriè donatio appellatur etiam quandoq; donatio sub causa tot. tit. D. & C. de mortis caus. dona. Concinnè etiam diuidi posset donatio in propriam donationem, & quasi donationem: sicuti peculium castrense aliud est propriè castrèse, aliud quasi ca-

strense: Et contractus alius propriè cō-
tractus, alius quasi contractus: Item de-
lictum aliud propriè delictū, aliud qua-
si delictum. Posset etiam haud absurdè
deduci donatio in absolutam donatio-
nem (siquidem propria donatio dica-
tur absoluta donatio,) & modo quodā
donationem: sicuti PETRVS RAMVS
consentaneum argumentum diuidit
in absolutè consentaneum, & modo
quodam consentaneum. Denique non
ineptè diuidi posse videtur in directam
donationem, & donationē obliquam,
siquidem propria donatio appellatur
etiam directā donatio: & in libris no-
stri iuris, vt & aliās, directum oppona-
tur obliquo. Sed retineamus di-
uisionem propositam à Lu-
liano l. C. in d. l. j. D. de
donationib.

*

*

*

CAPVT TERTIVM.

DE PROPRIA DONATIONE.

SYMMARIVM

- 1 Donacionis propria definitio.
- 2 Donatio propria quandoque *μὴ* *νομίμῳ* facta coniecturis: quandoque verò non nisi conventio interuenerit.
- 3 Donatio propria rata non est in patrem & filiumfamil.
- 4 Donatio propria inter patrem & filiumfamil. confirmatur iuramento.
- 5 Donatio propria à patre in filiumfamil. facta, cōfirmatur etiam morte patris: & hodie quidem sola eius morte absq. ipsius ultimo iudicio.
- 6 Compilatorum iuris negligentia quadam indicatur.
- 7 Donatio propria à patre in filiumfamil. facta immodica non cōfirmatur in preiudicium liberorū: intra summam tamen legitimā non requirit insinuationem, licet hoc nonnulli existiment.

- 8 Donatio propria à patre in filium famil.
facta confirmatur etiam ratihabitio-
ne patris, post filij emancipationem.
- 9 Donatoris heredum ratihabitio hodie ne-
cessaria non est ad confirmandam do-
nationem à patre in filium famil. col-
latam.
- 10 Triboniani peccatum indicatur.
- 11 Propria donatio rata non est inter con-
iuges.
- 12 Donatio inter coniuges facta cōfirmatur
iuramento.
- 13 Cōfirmatur etiam morte donatoris, quā-
vis stipulationi vel nudo pacto sit in-
serta contra quosdam.
- 14 Triboniani negligentia significatur.
- 15 Non solum pars bonorum, sed & bona
uniuersa donari possunt, contra inter-
pretes.
- 16 Donatio propria excedens summā quin-
gentorum solidorum insinuationem e-
xigit.
- 17 Quid solidus in libris nostri iuris: Et
cur aureus dicatur solidus.
- 18 Solidi aestimatio qua in libris iuris ci-
uilib.

- 19 *Ad quam usque aureorum nostratium quantitatem hodie absque insinuatione valeat donatio.*
- 20 *Donatio etiam ad pios actus & in personas religiosas collata, si excedat summam legitimam requirit actorum contestationem contra interpretes.*
- 21 *Quae donatio non requirat insinuationem, licet ultra legitimam summam sit facta.*
- 22 *Omissio insinuationis non totam donationem vitiat, sed quod superfluum est.*
- 23 *Qua actione superfluum repetatur.*
- 24 *Donatio quae intra legitimam est summam, neque scripturam, neque publica monumenta, neque testes exigit.*
- 25 *Quibus actionibus petatur res donata: & ad quod donator teneatur.*
- 26 *Donatio ob ingratitudinem reuocatur actione ingrati, quae personalis est.*
- 27 *Donatio inofficiosa à liberis reuocatur in partem dumtaxat legitimam non in totum, aut in partem virilem.*
- 28 *De beneficio l. si unquam. §. C. de reuocanda donat. cui illud competat: An pater illi renunciare possit.*

29 *Quomodo irrita fiat hæc donatio ppria.*

Proprie donatio est, quam quis ex mera liberalitate & munificentia, nulla sub causa in aliquem confert. d. l. j. l. hoc iure. 19. in prin. §. j. §. penul. & vlti. l. donari. 29. l. penul. & vltim. D. de donation. l. donari. 82. D. de regu. iur. Hæc aliquando etiā *μονομερῶς* facta valet, vt in casu. l. 15. C. de SS. eccle.

2 Aliquando verò non nisi conuentione, hoc est, antequam is, cui donatur, sciêrit sibi donari, eamque donationem ratam & gratam habuerit. l. absenti. 10. D. de donatio. Et hoc est, quod Græci dicunt, donationem factam *μονομερῶς* non valere excepto casu. l. 15. D. de sacrosanct. eccles. Cuiac. libr. 12. obserua. cap. 28.

3 Hæc propria donatio rata nō est, si à patre in filium fam. sit collata. l. cum de bonis. 11. C. de donatio. l. donationes quas parentes. 35. C. de donat. inter vir. & vxor. And. Gayl. lib. 2. obserua. practi cat. obserua. 38. nu. 1. 2. 3. & 4. Vbi huius iuris

PROPRIA DONATIONE. 10
iuris rationes adducit. Nisi summus
Princeps filiofam. donet vt docet idem
Gayl. in d. obserua. in fin.

4 Confirmatur ramen certis mo-
dis donatio à patre in filiumfam. facta.
Et primum quidem iuramento Iulius
Clar. libr. 4. §. donatio: quæst. 8. nume.
8. Euerh. in Topic. loco à vi iuramenti,
num. 12. Dominus Mynsing. cent. 2. ob-
seruat. 33. And. Gayl. d. libr. 2. obseruat.
obseruat. 38. nume. 7. & seqq. vbi ad ra-
tiones, quæ pro sententia contraria fa-
cere videntur, respondet.

5 Secundò confirmatur sola patris
morte, absque extremo eius iudicio ex
constitutione Iustiniani in d. l. donatio-
nes quas parentes. 25. C. de donationib.
inter virum & vxor. cùm tamē antiqui-
tus non sola morte patris confirmare-
tur. l. j. §. j. D. pro donato. l. 2. §. vltimo.
D. pro herede. Sed & extremo patris iu-
dicio, & morte ipsius. l. penul. D. de col-
lat. dot. l. 2. C. Gregor. tit. famil. circiscū.
Iacob. Cuiac. ad Iul. Paul. lib. 5. sentent.
tit. 11. & ad d. l. 2. D. pro herede.

6 Quia verò. d. l. donationes. 25. C.

B 2

de donationib. inter vir. & vxor. lata sit à Iustiniano ante compositionem Pandectarum, quippe cùm illam Iustinianus tulerit anno imperij sui secundo, Pandectas verò anno Imperij septimo cõponi iusserit, mirũ sanè est ius illud vetus, & quod inde depēdet, relatũ fuisse in Pandectas. d. l. j. §. j. D. pro donato. & d. l. 2. §. vltim. D. pro herede. Baldvinus in Iustiniano suo fol. 64.

7 Etsi autem morte patris confirmetur donatio in liberos eius potestati subiectos facta, tamen si immoderata fuerit, non reconualescit in præiudicium reliquorum liberorũ, quatenus scilicet immodica est. Nam in residuo subsistit. l. 2. C. de inoffi. donat. Authẽ. Vnde etsi parens. C. de inoffi. testamento. And. Geyl. lib. 2. obserua. practic. 38. num. 15. Quod tamen ex Græcis Dominicus, & ex Latinis Placentinus existimarunt hanc donationem licet sit intra legitimam summam non valere, nisi apud actorum testificationem sit cõfecta. per l. data. 27. C. de donationib. meritò reiiicit Accursius ex. l. donatio
nes

nes. C. de donat. inter vir. & vxor. Quid autem illis dederit causam erroris ostendit Cuiac. lib. 20. obsc. cap. 2. & ad Iulium Paul. lib. 4. sent. t. j. §. filio quibuscunq;

8 Tertiò donatio à patre in filiumfamil. facta confirmatur tacita rati habitatione patris post filij emancipationem. l. donationes. 31. §. pater. D. de donat. l. siue emancipatis. 17. C. d. t.

9 Deniq; confirmatur ea donatio rati habitatione heredum. l. 4. D. pro donato. l. 4. §. j. D. pro suo. Verùm cum ab heredibus ita confirmari legimus, morte donatoris non confirmari intelligimus. At qui Iustinianus morte confirmari iudicaret multò ante, quàm de Pandectis concinnandis cogitaret.

10 Quid igitur postea in his cōcinnandis Tribonianus cogitaret? Sed huius multo plura in isto genere peccata, sui & noui iuris oblitus, in componendis Pandectis admisit Balduinus in Iustiniano suo, fol. 65.

11 Porro hæc propria donatio rata non est inter virum & vxorem facta. toto. ita. D. & C. de donatio. inter virum.

B

& vxor. Ratio est, ne ob mutuum amorem se inuicem spolient coniuges: ne alter ditior, alter pauperior fiat: ne concordia maritalis pretio conciliari videatur. l. j. 2. & 3. D. dicto titu. Imò omnia inter se communia coniuges iudicare debent. l. j. §. si vir & vxor. D. de Senatus con. Syllan.

12 Etsi autem donatio inter coniuges regulariter non valeat: firmatur tamen iuramento. And. Gayl. d. lib. 2. obseruat. practi. obserua. 40.

13 Confirmatur etiam morte donatoris. l. res vxoris. 24. l. donationes quas parentes. 25. C. de donat. inter virum & vxor. l. cū hīc status. 32. §. si sponsus spō. sæ. D. d. t. And. Gayl. lib. 2. obser. practi. obserua. 91. in princ. Idque verum est, licet nō tradita sit res; sed stipulationi sit inserta donatio, vel etiam nudo pacto. l. si stipulata. 33. in princ. D. d. tit. Nouel. 162. cap. j. & ibi Cuiac. quamuis cū Bartolo contrariū sentiat dominus Mynsing. cent. 2. obserua. 33. Sed obstat. l. Papinianus. 23. D. de donatio. inter vir. & vxor. ibi Vlpia. Iurisconsultus ex Papiniani

niani sententia docet, orationem Diui
Seueri, quæ est de confirmanda dona-
tione interviri & vxorem morte do-
natoris, pertinere ad rerū donationē,
hoc est, quæ fit mediante traditione.
non etiam pertinere ad donationem,
quæ fit stipulatione absque traditione.
Ad hanc difficultatē respondet Corfa.
lib. 3. Miscel. c. j. affirmans eam legem lo-
qui de simplici stipulatione, non de ea
cui donatio inserta est. Sed nulla est ea
responsio, vt apertè ex ea lege intelli-
gitur, imò stipulatio numquam est sim-
plex, sed semper adhibetur alij negotio
& obligationi, siquidem obligationū
firmandarum gratia stipulationes sint
inuentæ. lul. Paulus lib. 5. senten. titul.
7. in prin. & ibi Cuiac. Et per se solæ nō
subsistant stipulationes, sed ex aliis ob-
ligationibus pēdeant. l. stipulationū.
5. §. conuentionales sunt. D. de ver. ob-
lig. At sciendum est, de huius donatio-
nis confirmatione duas esse duorum
Impp. habitas orationes prior est diui
Seueri Imp. altera Antonini Imperato-
ris, filij diui Seueri. l. cū hic status. § 2.

in prin. D. de dona. inter vir. & vxor. Ex illa autem ea tantum donatio inter virum & vxorem morte donatoris confirmatur, quæ traditione perfecta est, non etiam, quæ stipulatione fit absque traditione d. l. Papinianus. 23. D. d. t. Ex hac verò Antonini Imperatoris oratione huiusmodi confirmatur donatio morte donatoris, etiam stipulatione facta. d. l. cum hic statuitur. 32. §. j. D. de donatio. inter vir. & vxor. ibi I. C. Vlpian. civilem locat obligationē, ex stipulatione donandi causa facta. Et de hac posteriori diui Antonini intelligēda est. d. l. si stipulata fuerit. 33. D. d. tit. Duarenus ad titu. soluto matrimonio. cap. de donatione inter virum & vxorem. Franciscus Balduinus in Iustiniano suo folio 350.

14 Sed cum ex illa posteriori Antonini Imperatoris oratione omnis donatio etiam stipulatione facta confirmetur morte donatoris, rectē expunxisset Tribonianus illā Papiniani annotationem in d. l. Papinianus. 23. D. de donat. inter virum & vxor.

Non

35 Nō solūm autem pars bonorum
sed & bona vniuersa donari possunt, si
de inofficiosis donationibus ratio non
reclamauerit. l. si quis argentum. 35. §.
sed & si quis. ibi, *vel totam substantiam*
tradere. & §. vlti. C. de donation. l. si vn-
quam. 8. ibi, *Bona omnia vel partem.* C. de
reuocand. donat. & facit. l. omnes. 17. §.
j. D. quæ in fraud. cred. l. si totas. 5. C. de
reuocand. donatio. In qua tamen dona-
tione non veniunt nomina debitorū,
siue iura & actiones. An. Gayl. lib. 2. ob-
seruat. practicar. obserua. ii. num. 10. Et
Iacob. Menoch lib. j. consiliorum con-
sil. 47. nu. 2. Quia verò ex adductis legi-
bus apertè intelligitur, omnium bono-
rum donationē valere, falsum est, quod
interpretes donationem omnium bo-
norum nullam esse, communiter tra-
dunt in l. stipulatio hoc modo conce-
pta. 61. D. de verb. obligat. & alibi. Præ-
cipua autem doctorum ratio hæc est,
quod testamēti factio ambulatoria esse
debeat vsque ad extremum vitæ exitū.
Donatio autem omnium bonorum a-
dimat donatori, & planè tollat faculta-

tem liberam testandi. Quod posterius sanè verum non est. Donatore enim in id tantùm, quod facere potest, cōuenitur, nec illi vitæ necessaria auferuntur, ne egeat. l. inter eos. 19. §. 1. D. de re iudica. l. Diuus Pius. 28. D. de regu. iur. licet in solidum sit condemnatus. l. Nescennius. 41. §. fin. D. de re iudi. l. quid. 23. in prin. D. de donationib. Item in omnium bonorum donationem nō veniunt nomina siue iura & actiones, vt paulò ante dixi. Quare de his quæ non extorquentur, sed relinquuntur donatori: itē de nominibus & actionibus testamentum facere poterit. Ad reliqua doctorum argumenta respondet Ioan. Corras. lib. Miscel. 6. cap. 17. quem vide.

26 Si tamen donatio excedat summam quingētorum solidorum, ad acta publica recurrendum, iisquē donatio insinuanda est, §. aliæ autem donationes. Institut. de donationib. l. penult. & §. vlt. C. d. t. l. illud. C. de sacrosan. eccle. Quæ insinuatio in vno loco facta porrigit effectum suum etiā ad bona sita extra territorium. Quia donatio in loco
insinua-

insinuationis sumit essentiale principium & formale per text. in l. in hac sacratissima. ibi, *ubicunque positarum*. C. de donatio. tex. in l. secundum. D. Leonis. C. eod. argumento. l. j. C. de cōtrahend. empt. ita Bald. consi. 166. numer. 6. volum. 5. incip. Quidam Franciscus, And. Gayl. lib. 2, observa. observat. 123. numer. 5.

17 Solidus autem in libris nostri iuris est aureus. Nā quod dicitur solidus in §. fin. Instit. tit. de poen. tem. litig. aureus appellatur in l. penult. & vlti. D. de in ius vocando. Aliquando tamen solidus non simpliciter dicitur, sed additur *auri*. l. vn. C. de collatiōe cris. lib. 10. Solidus quoq; siue aureus apud posteriores scriptores, hoc est, ferè post Constantini imperium, dictus etiā fuit Numisma. Nam in Nouellis Iustiniani, & aliorum Orientalium constitutionibus, itemque apud Theophilum, Harmenopulum, Nicephorum, Zonaram, Cedrenum ubicunque *νομισμα* & nomē reperitur aureus solidus fere intelligitur. Franciscus Hottomanus libr. de re

numaria. fol. 338. & in disputatione de aureo Iustinianico aduersus Cuiacij quandam obseruationem, quæ est libr. 9. obseruat. cap. 31. Aureus autem duabus de causis appellatus fuit solidus: primum quòd ex auro puro constabat, siquidem solidum antiqui integrum dicebant. Deinde vt ab eo discerneretur, qui dimidiatus aut dimidiato minor erat, hoc est, semisse & tremisse. Francisc. Hotomanus in dicto libro de re numaria fol. 340.

18 Aurei autem siue solidi æstimatio vna semper & certa nō fuit, sed pro cuiusque Principis arbitrio ac libidine mutari, ac variari solita est. In Pādectis, quorum solidorum fit mentio, eorum octo & quadraginta è libra vna cudebātur, ex singulis vnciis quatuor, vt eleganter docet Hotomanus in dicto lib. de re numaria. fol. 334. & præcedentibus & sequentibus. Item in disputatione de aureo Iustinianico fol. 378. At postea circiter Constantini Imperatoris tempora constabantur ex vna auri libra quatuor & octoginta solidi, siue, quod idem est, ex vncia

ex vncia septem. l. j. C. Tbeod. de pōde-
ratoribus. Aliquantò pōst Valentinia-
nus & Valēs Imperatores ad grauiores
aureos redierunt, statuerūtque, vt duo
& septuaginta ex libra auri cōflarentur,
siue (quod idem est) ex vncia sex. l. quo-
ties. §. C. de susceptorib. lib. 10. Hinc so-
lidus apud Latinos Sextula dictus est,
quod iis sex compleatur vncia, Isidor.
lib. origin. 16. Et hæc aurei siue solidi æ-
stimatio Iustiniani temporibus mansit,
si quidem nusquam in eius constitutio-
nibus mutata legatur, sed potius alicu-
bi ab eo seruata comperiat, vt in prag-
mat. sanctio. cap. 20.

19 Sed cū hodie aurei nostrates
minoris sint ponderis, atque aurei fue-
runt Iustiniani, non immeritò quæri-
tur, ad quam aureorum nostratiū quan-
tatem donatio absque insinuatione
hodie valeat? Hic variæ doctorum opi-
niones sese offerunt. Bart. in l. quoties-
cunque. num. 2. C. de suscep. liber. & ad
Rub. C. de veter. numis. potest. Item las.
in l. 2. §. ex his. numer. 16. D. de verb. ob.
& in l. vlt. num. j. D. de in ius vocand.

docēt, quod hodie 96. aurei Veneti vel Florentini vnam auri librā constituāt, siue (quod idem est) octo ducati ex vncia cudantur. Vnde sequitur donationem absque monumētorum gestis hodie valere vsque ad 666. ducatos. Idem tamen Iason in d. l. 2. §. ex his. numc. 16. D. de verb. oblig. affirmat donationem citra insinuationem esse ratam vsq; ad 800. solidos, atque ita se in facto obtinuisse ibidem adiicit. At in d. l. ult. nu. 1. D. de in ius vocand. asserit, quod hodie donatio valeat sine actis vltra septingētos aureos. Iulius Clarus lib. 4. §. donatio, quæst. 15. nu. 1. tradit, quod quingēti solidi Iustinianici hodie faciant summam septingentorum scutorum huius temporis. Duennas autem, vt ibidem Iulius Clarus subiicit, in Regula. 224. limitat. 19. in si existimat, donationē absque insinuatione ratam esse vltra mille aureos. Florentinus à Wemingē, consilio quodam, quod est primum in quarto Tomo cōsiliorum variarum Academiæ & Iuriscōsultorum, nu. 106. tenet, quod 136. floreni Rhenenses cōstituant



suant libram auri & proinde sine monumentorum gestis, hodie donationē valere vsq; ad nongentos florenos Rhennenses. Alciatus autem in l. hæc enunciatio. D. de verb. significa. affirmat, aureū, quo hodie vtimur, ex generali omnium populorum consuetudine surrogatum esse veteri aureo Iustiniano, & ideo: quæ de solido in iure ciuili cautæ sunt, ad nostrum hunc aureū, quātumuis leuioris sit ponderis, referri debere. Idem etiā sentit Ioan. Schneidenuin. Tit. Insti. de donatio. nu. 24 vbi adiicit, se ita pronuntiatum vidisse Wesemb. tamen ibidē in margine ad Schneidenuin. annotat se obseruasse, aureū Vngaricum pro solido siue aureo Iustiniano vsurpari. Idem etiam in Paratit. Pandect. tit. de dona. nu. 6. quingentorum illorum aureorum estimationem, nūcad Hūgaricos redigi affirmat quod quidem verum est, si ex libra auri cudatur dumtaxat Hungarici. 72. siue (quod idem est) ex vncia conflentur sex Hungarici, & tanta sit libra, itemque vncia, quanta fuit Iustiniani temporis.

bus: quæ ratio & computatio hîc diligenter incunda & spectanda est, & in iudiciis reuera attendenda, ne à mente Iustiniani hac in parte recedamus: nec ob illas Doctôu varias opiniones consulti de iure fluctuemus. Si tamen extat loci statutum vel consuetudo, ad quam vsque summam citra insinuationem donatio valet, ea obseruanda est. Colonia vsque ad 1200. aureos: Aquis grani duo millia aureorû monetæ currentis, vt vocant, donatio absq; insinuatione facta subsistit. And. Gayl. libr. 2. practic. obser. obseruat. 39. num. 4.

20 Porro si excedat prædictâ summam donatio, licet pijs actibus vel religiosis personis deputata sit, insinuationem requirit. d. l. si quis argentum. 35. §. si. versi. tantoq; magis. D. de donatio. & d. l. illud. 19. C. de sacrosanc. eccl. nisi donatio fiat pro redemptione captiuorum. vel in eum cuius domus incendio aut ruina periit. l. si quis. 36. in princ. & §. 2. C. de donationib. Hallucinantur itaq; interpretes, communiter affirmantes

tes indistincte, quod donatio collata in
Ecclesiam & alias pias causas, insinua-
tionem respuat, licet legitimam exce-
dat summam, per d.l. illud. 36. C. de do-
nationib. In qua sententia videtur etiã
esse And. Gayl. libr. 2. obseruat. pract.
obser. 127. nu. 4. Et vt hãc suam senten-
tiam tueatur, contra d.l. illud. 19. C. de
sacrosan. eccle. & d.l. si quis argentum.
35. §. fin. versi. tantoq; magis. C. de do-
nationib. affirmat has leges corrigi per
d.l. illud. 36. C. d. t. Sed falsò. Primo e-
nim licet. d.l. si quis. 36. C. d. t. sit poste-
rior. d.l. si quis argentum. 35. C. eo. veri-
simile tamen non est, voluisse Iustinia-
num per d. illem l. si quis. 36. C. d. t. tol-
lere in vniuersum, quod de insinuanda
donatione in pias causas facta statuerit
d.l. si quis argentum. C. eod. præsertim
cùm hæc anno Imperij Iustiniani quar-
to. 15. Kalend. April. Lampadio & Ore-
ste Coss. illa autem statim sequenti an-
no. 15. Kalen. Nouemb. à Iustiniano sit
edita. Deinde, licet dict. l. 35. C. de dona-
tionibus, posterior sit dicta l. 35. C. eod.
tamen tollere & corrigere non potuit.

C

d.l. illud. 19. C. de sacrosanct. eccles. vt
 posteriorem. Quod autem ea sit poste-
 rior dicta. l. 36. C. de donationibus. in-
 de constat, quod in ea dicitur valere do-
 natio sine insinuatione vsq; ad solidos
 quingentos, cum tamen hoc ius primū
 sit constitutum dicta illa. l. si quis. 36. §.
 fin. ibi. *Ex presenti lege.* C. de donationi-
 bus. Ex prædictis etiam sequitur Docto-
 rum opinioni nō opitulari. l. sancimus.
 34. in princ. C. d. titu. siquidē illa prior
 sit tempore. dicta l. 35. & d. l. 36. C. codē.
 Imò ea lex prorsus destruit sententiam
 illorum. Vult enim ratam quidem esse
 donationem ad pias causas factam vsq;
 ad quingētorum dumtaxat aureorum
 summam absque insinuatione. At si
 procedat vltra quingentos solidos, li-
 cet ad pietatem respiciat, monumen-
 torum tamen gestis eam egere. dicta l.
 sancimus. 34. §. alius verò. i. C. d. t. Idq;
 etiam ibidem, vt & in l. pen. in fi. C. co.
 Contra alios expressè docet Angel. de
 Perus.

21 Præterea non indiget etiam in-
 sinuatione donatio facta ab Imperato-
 re in

re in priuatum vel contra, neque donatio facta à gloriosissimis viris Magistris militum in ipsos fortissimos milites. d. l. si quis. 36. §. j. d. l. sancimus. 34. in principio. iuncto Auth. itemque. C. de dona. Nouel. 52. capit. 2. Neque donatio reciproca in tempus mortis facta inter coniuges. And. Gayl. lib. 2. obseruat. pract. obseruat. 40. nu. 8. Neque donatio iurata. idem And. Gayl. libr. 2. obser. obser. 39. vbi in vtramque partem hanc questionem examinat.

22 Quod autem supra legitimam summam fuit donatum, non totam donationem irritam facit, sed quod superfluum est, tantummodo non valet: reliqua verò quantitas intra legis terminos constituta in suo robore perdurat, quasi nullo penitus adiecto, sed hoc pro non scripto vel non intellecto esse creditur. dicta l. sancimus 34. in principio. & l. sequenti. §. si autem. C. de donationibus. Nouell. 162. capit. j. §. & illud etiam.

23 Repetitur autem superfluum illud conditione. l. vt mihi. 21. D. de do-

natio. quam conditionem glossa ibidē
 vocat conditionem sine causa.

24. Donatio verò quæ intra legiti-
 mæ est summam, etiam sine scriptis &
 sine publicis monumētis, hoc est, actis:
 item sine testibus fieri potest, etiam in
 extraneos & ignotos, dummodo aliis id
 idoneis documentis probetur. l. in ex-
 traneos. 29. l. in donationibus. 31. C. de
 donationib. Olim quidem Constanti-
 nus Imperator in donationibus scriptu-
 ram exegisse videtur in l. donatio. 25. i-
 bi, *in conscribendis donationibus*. C. de do-
 nationib. Sed hoc Theodosius Impera-
 murat in d. l. 29. C. d. t. Olim etiam do-
 nationes non nisi actorum testificatio-
 ne confici poterant. l. data. 27. C. de do-
 natio. Neque etiam sine adhibitis testi-
 bus. Sed Theodosius & Zeno Impera-
 tores postea expresserunt, etsi sine acto-
 rum testificatione, item sine testibus
 quid donatum fuerit, posse quod geri-
 tur, adhibitis aliis idoneis documentis
 comprobari. d. l. in extraneos. 29. d. l. in
 donationibus. 31. C. de donationib. Si
 autem scriptura conficiatur, etiam sine
 testium

testiū sub notatione valet. d. l. in donationibus. 31. C. d. t. Ita tamen, si ipse donator vel alius voluntatem eius subscripserit. l. vice 20 l. donatio 25. d. l. in donationibus. C. de donationibus. Non tamen perfecta dicitur hæc donatio antequam scriptura in mundum sit redacta, vt ad prædictum modum completa l. contractus. 17. C. de fide instrumento.

25 Porro hac propria donatione perfecta, si res nōdum tradita sit, vel ex stipulatu agendum erit, si donationi stilatio inserta fuerit: vel conditione ex lege, si nudo pacto sit perfecta donatio. Nouel. 162. capit. j. & §. sancimus. & ibi Cuiac. l. si quis argētum 35. §. sed si quidem. C. h. t. §. aliæ autem donationes. ibi. *Et ad exemplum.* Instit. tit. eod. Petr. Faber ad l. Diuus Pius. D. de regu. iuris. Coras lib. 3. Miscel. cap. 15. Duar. tit. de donationib. capit. 7. Sed dumtaxat, in quātum donator facere potest. l. qui ex donatione. 12. l. qui id. 33. in princ. D. de donatio. l. inter eos. 19. §. si. D. de re iudic. d. l. Diuus Pius. 28. D. de regu. iuris. Qui etiam ad præstandas vsuras, & fru-

ctus ex mora non tenetur. l. in ædibus.
 9. §. j. l. cum de modo. u. l. cum qui. 22.
 D. de donation. Non obstat. l. j. in prin.
 D. de pollicita. Hic enim agitur de pro-
 pria donatione, adducta autē lex est de
 donatione, quæ fit Reipub. ob honorē,
 vt eius legis. §. j. declarat. Nec tenetur
 etiam donator ad euictionem, licet do-
 li actione conueniatur, si dolo rē alienā
 donauerit. l. Aristo. 18. §. si. D. de donat.

26 Non temerē reuocatur hæc do-
 natio, sed ob ingratitudinem donata-
 rij veluti si is in donatorem atroces in-
 iurias effundat, vel ei manus impias in-
 ferat, vel eius vitæ insidietur, vel gran-
 dem iacturam ei in bonis adferat. §. alię
 autem donationes. Institu. h. t. l. siue e-
 mancipatis. 17. & legibus sequentibus.
 l. si quis argentum. 35. C. codē. l. 2. 3. 4. 5.
 6. & vlt. C. de reuocand. donation. No-
 uel. 22. cap. 35. Item si eum alere recusa-
 uerit. glo. ordinaria & singularis in l. si.
 vbi Cyn. & Salicet. eam approbant &
 commendant. C. de reuocand. donat.
 Et sequitur Nicol. Euerh. consil. 193. nu-
 mero 6. Et ex his casibus ingrati actio
 personalis

personalis donatori, non eius heredi, in donationis acceptorem non eius heredem comparata est, per quā reuocantur, quæ habet donatarius, non quæ alienauerit. l. j. l. his solis. 7. & l. ult. C. de reuocan. donatio. In tantum autem ob ingratitudinem reuacatur donatio, vt donator non obligetur ex pacto de nō reuocanda donatione ex quacunq; ingratitudine, nisi iuramento id firmauerit pactum Franciscus Viuius lib. 2. cōmunium opinionum opin. 94.

27 Reuocatur etiā inofficiosa donatio. Liberis etenim & parentibus, quatenus nō agnouerint donatoris iudiciū, datur inter quinquēniū rescissio immēse donationis, per quærelam inofficiose donationis, tam testato, quā intestato donatore, nō in solidum, sed in portionem legitimam, siue in extraneos siue in liberos sit collata donatio. l. j. 3 4. 5. & 6. l. si non conuenit. 9. C. de inofficio. donatio. & l. si quis filium. 34. in fin. C. de inoffi. testamento. Si igitur parens vni ex liberis ultra dodiantem, vel secūdam Nouell. 18. cap. 1. ultra bes-

sem aut semissem donauerit, vel etiam si totum suū patrimonium in vnum ex liberis suis contulerit (quod est facultates, siue opes, siue patrimonium exhaurire, exinanire, vacuum facere, euiscerare. tit. Cod. de inoffic. donatio. itē exantlare Nouel. 92.) cæteris liberis datur querela, qua donata reuocatur pro quadrantis, aut hodie trientis semissive ratione. Idque multis constitutionibus. tit. Cod. de inoffi. donationib. confirmatur. Item d. Nouel. 92. At in assem inue partem virilem donatio non reuocatur, neque id vsque legitur. Nec aduersatur. l. Titia Seio. 87. §. Imperator. D. de legat. 2. dum extantibus nepotibus duobus, & in vnum ab auia collata donatione immodica, alteri ait donatorum pro dimidia parte reuocationē dari. Dimidiam enim quartæ partis intelligit, non dimidiam omnium bonorum: idque explicari cōuenit ex l. si mater. 7. C. de inoffi. donationib. Quod & verissimum & apertissimum est. Cuiac. lib. 5. obserua. cap. 14.

28. Parentes quoque, si cum libe-
ros

ros non haberent, bona omnia vel partem facultatum alicui donauerint, & postea liberos susceperint, totum, quicquid largiti fuerunt, reuocare possunt. I. si vnquam. 8. C. de reuoc. donat. quæ lex quamuis loquatur de patrono & libertis, tamen contra quosdam porrigenda est ad quemcunque donatorem liberos non habentem. Quia in omnibus ratio eius legis valet, quæ posita est in coniectura pietatis. Quia verisimile non est, eum extraneo donaturum fuisse, si de liberis cogitasset, vt l. cum auus. 102. D. de conditionib. & demonstra. l. generaliter. 6. §. cum autem. C. de institutionib. & substit. l. cum acutissimi. 30. C. de fideicommiss. Quamobrem verè dici potest, tacitè donationi inesse hanc conditionem, *Si liberos non habuerit*, & consequenter natis liberis, quasi conditione defecta, patri competere conditionem ob causam. Quod si hæc ratio valet in omnibus, merito etiã in omnibus idem ius statuendum est. Plura de hac quæstione vide apud Cuiac. lib. 20. obseruat. cap. 5. Item Andr.

Tiraquel. in commentar. in d.l. si vnquam. 8. C. de reuocand. dona. vbi longa disputatione hanc quæstionem examinat. In modica tamē donatione locū nō habet. d.l. si vnquam. C. d. t. Decius conf. 381. num. 3. incipiente, Viso puncto controuersię, vbi communem dicit. Curtius Sen. cōf. 1. nu. 18. Phil. Port. lib. j. communium opinio. conclusio. 35. Bald. in l. j. num. 16. C. de inoffic. dona. Imol. in c. fi. de dona. And. Gayl. lib. 2. obserua. pract. obser. 102. num. 5.

Sed an pater renunciare possit etiam in preiudicium liberorum, beneficio. d. si vnquam. C. de reuocand. donat. quæstio magna est. & quidem adeò anceps, vt decisione Cæsarea indigeat. vt videtur And. Gayl. lib. j. obseruatio. pract. obserua. 40. num. 13. & Domino Mynsingero centur. 5. obserua. 63. At si veritati locum dare volumus, dicendū omninò est, prædictæ legis beneficium non liberis, sed patri datum esse: & proinde patrem illi renunciare posse. Est enim ea lex de tota donatione reuocanda. cum tamen liberi donationem inoffi-

officiolam reuocent tantum pro modo legitimæ. l. si totas. 5. & tot. tit. C. de inoff. dona Cuiac. dict. libr. 20. cap. 5. licet in alios liberos sit donatio collata. Auth. unde si parens. C. de inoff. testa. & ibi lason. nu. 2. cum seq. text in d. l. si totas. C. de inoff. donat. lason. cōsi. 125. nu. 2. vol. j. incip. Circa primum dubiū. Bart. in l. Titia. §. Imp. nu. 4. D. de lega. 2. per illum tex. And. Gayl. lib. 2. obser. obseruat. 116. nu. 4. Illa tamen patris renuntiatio non nocebit liberis, quominus suam legitimam consequi possint. Res enim inter alios acta aliis non nocet. tot. tit. C. inter alios acta vel iud. 2. aliis non no. Huic etiam aliæ rationes adferri possunt, quas pro hac sententia adducit Do. Mynsin. dict. cent. 5. obseruat. 63.

29 Deniq; irrita fit hæc donatio etiam ob crimina donatarij, & quidem si perduellionis sit crimen, etiam ante accusationem. l. donationes in concubinam. 31. in fi. D. de donatio. Si verò aliud crimen fuerit capitale, non nisi post condemnationem. l. post contra-

Etum. 15. D. d. r. Crimen autem non capitale donationem hanc irritam non constituit, nequidem post condemnationem, licet secus sit in mortis causa donatione. l. si aliquis. 7. D. de mort. causa donat. Et hæc de propria donat.



CAPVT IV.

DE NON PROPRIA
Donatione.

Non propriè donatio est, quæ non ex mera liberalitate, sed sub certa causa in aliquem confertur. l. j. l. hoc iure. 19. in prin. §. j. §. pen. & ult. l. Aquilius. 27. l. si pater. 34. §. j. D. h. t. l. Senatus. 35. §. Sed mortis causa, & tot. tit. D. & C. de mortis causa donatio, & tot. tit. C. de donat. ante nupt. Et quia hæc donatio fit ob causam, ea causa nõ secuta infirmatur. Quicquid enim datum est ob causam, siue expressam, siue tacitam, causa non secuta, reperitio datur.

tur. l. si militem. C. de condict. ob cau.
 Estque duplex hæc donatio: vel enim
 mortis causa donatio est: vel non mor-
 tis causa: siue inter vivos don. Et si qui-
 dem Iustinianus Imp. tit. Inst. de donat.
 in prin. in duo summa genera diuidat
 donationem, scilicet in mortis causa &
 non mortis causa: Et per nō mortis cau-
 sa donationem intelligat etiā donatio-
 nem propriam, de qua cap. præcedenti
 disserui: tamen cū Iulianus l. C. in l. j.
 D. h. t. donationē ostendat vel propriā
 esse vel non propriā. Et ad non propriā
 donationē referat mortis causa dona-
 tionem & reliquas oēs donat. quæ sim-
 plices & absolutæ donationes nō sunt:
 volui huiusmodi ordinē hoc loco ob-
 seruare: præsertim cū omnes donat.
 species in methodum quandam hīc re-
 digere constituerim: Et quod mortis
 causa donatio, de qua statim cap. sequ.
 dicam, propria siue simplex aut absolu-
 ta donatio non sit, expressè etiam do-
 cet l. C. Paulus, in l. Senatus. 35. §. sed
 mortis causa donatio. D. de mort. cau-
 donationibus.



CAPVT V.

DE MORTIS CAUSA DONATIONIBVS.

SVMMARIVM

- 1 *Definitio donationis mortis causa, eiusque explicatio.*
- 2 *Hac donatio rata est inter coniuges.*
- 3 *Non exigit insinuationem, licet excedat quingentos solidos: Requirit tamen quinque testes perpetuò contra quosdam.*
- 4 *Connumeratur legatis, licet non in omnibus, tamen per omnia, etiam ab intestato facta contra quosdam.*
- 5 *Donatio mortis causa, transfert dominium sine traditione: Item in ea locus est legi Falcidia & interdicto quod legatorum si à donatore viuo res tradita non sit.*
- 6 *Quomodo reuocetur, & irrita fiat hac donatio: Item qua actione res donata reuocetur.*

7 *Ad donatario mortis causa relinqui potest fideicommissum, non à donatario inter vivos: ubi indicatur error Interpp. in l. j. C. de donat. mort. causa.*



8 **M**ortis causa donatio est, quam quis metu mortis suæ in aliquem protinus donationē agnoscentem confert, ita ut non nisi morte secuta perficiatur. Dico *Quam quis metu mortis*, atque ita comprehendendo omnes tres species mortis causa donationis, de quibus in l. 2. l. mortis causa. 31. §. sine. versic. rursus. l. senatus. 35. §. mortis causa. D. de mortis causa donat. l. 4. ibi, *sive longiore cogitatione mortis*. C. d. t. Sunt qui putant eam donationem, quæ fit sola mortis cogitatione, propriè non esse donationis mortis causa speciem: at cum prædictis quatuor legibus annumeretur speciebus donationis mortis causa: Et proprietatem eius donationis habent, siquidem post prius periculū subsistat, quo si non perierit donator, reuocatur, ut docet

Guilelmus Onciacus lib. 2. quæst. Aca-
 demicar. quæst. 39. nu. j. Comprehen-
 do etiam hac definitione eiusmodi spe-
 ciem, nec eam cum quibuscumque inter-
 pretibus reiicio. Dico præterea *Mortis*
sua. Nam si quis donet metu mortis
 alterius, non est mortis causa donatio,
 sed mortis causa capio. l. mortis causa.
 31. l. in mortis. 38. D. de mort. causa do-
 nat. & ibi Iacob. Cuiac. in Paratit. *Mor-*
tis causa donatio dicitur quidem mor-
tis causa capio. l. mortis. 18. in princ. D.
cod. Sed omnis mortis causa capio non
 dicitur donatio. l. inter mortis causa.
 38. D. d. t. Dico, *Protinus donationem a-*
gnoscentem. Nam donat. mortis causa,
 qui præsens præsentis dat. d. l. inter mor-
 tuos. 38. D. de mort. causa donat. Sed
 testamento quis legat ignoranti & non
 protinus consentienti. Cuiac. lib. 2. q.
 Academicar. quæst. 39. nu. j. Dico po-
 stremò, *ita ut non nisi morte secuta perf-*
ciatur. Non enim videtur perfecta do-
 natio hæc, antequam mors insequatur.
 l. non videtur. 32. D. de mortis causa do-
 natio. Neq; enim propriè mortis causa
 dona

donatio est, vbi ita donatur mortis causa, vt nullo casu reuocetur donatio. l. vbi ita donatur. 27. D. d. tit.

2 Et licet simplex donatio inter virum & vxorem rata non sit, vt supra dixi, capit. 3. hæc tamen inter coniuges facta valet. l. Papinianus. l. Sed interim. §. j. l. vxori suæ. l. si eum seruum. §. vlt. l. quod autem. §. j. D. de donat. inter vi. & vxorem. l. donationes. C. cod.

3 Hæc donatio non eget insinuatione, sed quinque testes tanquam vltima voluntas desiderat. l. 4. C. de donat. mortis causa, qua lege antiquatur. l. donatio. 25. C. de donationib. quatenus & in donatione mortis causa. Constantinus actorum contestationē & insinuationem exigit. Balduinus quidem in Iustiniano suo, fol. 140. & seq. existimat, non in omni donatione mortis causa requiri quinque testes, sed in eadem taxat, cuius quantitas insinuationem postulare videtur: Siquidem Iustinianus, in d. l. 4. C. d. t. dicat, mortis causa donationem non requirere acta siue monumēta publica, vnde colligit Bal-

D

diuinus hanc donationē catenus quinque requirere testes, quatenus excedat quantitatem quingentorū solidorum. Verūm illi non assentior. Nam in omni vltima voluntate, qualis est mortis causa donatio, quinque testes adhiberi debent. l. vlt. C. de codicil. Et quod Iustinianus, in d. l. 4. C. de donationib. mortis causa, hanc donationem publicis actis eximit, generaliter de omni donatione mortis causa statuit.

4 Connumeratur autem mortis causa donatio legatis per omnia. §. hæ mortis causa. Instit. de donationib. l. vlt. C. de donatio. causa mortis, non solum si facta sit à testato, vt existimat Cuiac. lib. 3. obser. cap. 17. in fi. & tracta. ad African. 2. mihi, fol. 53. sed etiam si facta sit ab intestato. Nam dicta l. vltima ibi, *omnes mortis causa donationes*. C. de donationib. causa mortis. generaliter loquitur. Non obstat. l. si filiusfami. 20. D. de legat. præstand. Loquitur enim de bonorum possessione contra tabulas, quā Iuriconsultus ibi negat filio dari, si pater quid donauerit mortis causa intestatus.

status. Nullæ enim sunt tabulæ, contra
 quas ei detur bonorum possessio, siqui-
 dem tabulas, hoc est, testamentum nō
 fecerit pater, sed intestatus decesserit.
 Secus verò est, si pater testatus quid de-
 derit alicui mortis causa. Hic enim oc-
 currit comparatio legatorum & mor-
 tis causa donationis, non etiam ibi. Nā
 iure Pandectarum solo testamento le-
 gata relinquebantur, non etiam ab in-
 testato. l. legatum. 116. in prin. D. de leg.
 1. l. legatum. 16. D. de legat. 2. Illa autem
 legatorum & mortis causa donationis
 exæquatio perfectè facta est Iustinia-
 ni constitutione in d. l. ultim. C. de do-
 nationibus causa mortis. & §. hæ mor-
 tis causa. Institut. de donationib. Nec
 obstat. l. illud. 37. D. de dona. mort. cau-
 sa. ubi etiam Vlpian. Iuriscōsultus exæ-
 quat legatis has donationes. Nam ante
 Iustinianum quidam Iurisperiti cas
 donationes annumerabāt legatis, qui-
 dam verò contractibus, sed Iustinianus
 sustulit eam Iurisperitorum dissen-
 sionem suprà adductis locis. Deinde et
 tiam non obstat. l. Marcellus. 15. in fi. D.

d. t. Illa enim verba, *hoc & cōstitutum est.*
vel non sunt Iurisconsulti auctoris eius
legis, sed Triboniani, qui ea trāscripsit
ex d. l. vlti. C. de donationib. causa mor-
tis: vel ea sunt referēda ad priorem eius
legis sentētiam, vt sit intellectus, quod
Marcellus non tāquam nouum hoc di-
xerit, hoc est, non de nudo eam senten-
tiam protulerit, sed de ea constitutio-
nem esse factam, quod scilicet filiisfam.
vt testari sic etiam mortis causa donare
possint, cui velint. Notandum autem
est, quod Iustinianus tit. Instit. de dona-
tio. §. hæ mortis causa, ait, donationes
mortis causa ad legatorum exemplum
reductas esse *per omnia*, non etiam ait, *in*
omnibus. Nam aliud est per omnia ad a-
liquid redigi, aliud in omnibus. Nam
iure Pandectarum per omnia exæquata
sunt legata fideicommissis. l. j. D. de le-
gat. j. sed non in omnibus. Siquidem Iu-
stiniani constitutione exæquatio lega-
torum & fideicommissorum in omni-
bus fit facta. l. 2. C. communia de legat.
& fideicommissis. Præterea etiam aliam
esse vim verborum, *per omnia* & aliam
verborum

verborum *in omnibus*, expresse docet. l. 2. §. furiosus. D. de iurecodicil. & tradit Cuiac. in paratit. Pandect. tit. de legat. & fideicommiss. l. j. Item in paratit. in Cod. tit. Quod legator. In quibus autē donationes mortis causa non sint redactæ ad exemplum legatorum, docet gl. ad titu. Instit. de donatio. in §. j. in verbo, *ferè*.

3 Quia verò mortis causa donatio per omnia legatis cōnumeretur, etiam ipso iure donata res acquiritur donatario, etiam si à defuncto tradita non sit. l. 2. D. de public. in rem act. Nam & legata ipso iure legatario acquiruntur. l. j. & 2. C. communia de legat. & fideicōmiss. Non obstat l. traditionibus. 20. C. de pactis. Ibi enim non omnes modi acquirēdi dominium enumerātur, sed ad propositam quæst. à supplicante & consulete emissā Imperatores rescribūt: quæ quæstio fuit: An nudis pactis dominia rerum transferantur: quod dicto loco Imp. negant, & rectè quidem per l. 3. in prin. D. de obliga. & actio. Item hæc donatio vt legatū, lege Falcidia minui-

tur. l. 5. & l. penul. C. ad leg. Falcid. l. 2. §. j. C. de mort. causa donation. & l. j. §. si quis. D. quod legator.

Sed nunquid etiam interdictū quod legatorum in donationib. mortis causa locum habet, quemadmodum in legatis. Legatario occupante vacuam possessionem rei legatae sine voluntate heredis, heredi datur interdictum Quod legatorum, vt recipiat rem legatam, sibi que Falcidiam seruet per retentionē l. j. C. quorum legator. & toto titulo. D. quod legator. Sed donatario post mortem donatoris occupante rem sibi mortis causa donatam, sine voluntate heredis, nūquid etiam ipsi heredi datur interdictum quod legatorum, vt recipiat rem donatam, sibi que Falcidiam seruet per retentionem. Vlpianus Iuriscōsultus. hoc rogare videtur in l. j. §. si qs. D. quod legat. Si quis, inquit, ex mortis causa donationibus possideat, utique cessabit interdictum: quia portio legis Falcidia apud heredem ipso iure remanet, etsi corporaliter res in solidū transferunt. Ecce his verbis docet Vlpian. heredi

heredi contra donatarium non competere interdictum quod legatorum, sed vindicationem Falcidiae. At sciendum est, Vlpianum loqui de casu, quo donator viuis ipse rem mortis causa in donatarium transtulit: hoc casu non suppetit heredi facultas retinendae rei, quam donando iam defunctus corporaliter transtulit in donatarium, & superuacuum ei est interdictum quod legatorum, qui ipso iure Falcidiam habet. Quod si autem post mortem donatoris rem sibi donatam donatarius sine voluntate heredis occupauerit, hoc casu sanè datur heredi interdictum quod legatorum, ut recipiat rem donatam, sibi que Falcidiam seruet per retentionem. Cuiac, lib. 10. obseruat. cap. 28. Idem etiam est in legatis. Si post mortem testatoris sine voluntate heredis rem legatam occupauerit legatarius interdicto quod legatorum. locus est, ut dixi: at si testator viuis ipse rem legatam in legatarium transtulerit: heredi hoc casu competit vindicatio Falcidiae, & cessat interdictum quod legatorum. Cuiac. lib.

8. obseruat. cap. 2. & in paratit. C. titul. Quorum legator.

6 Reuocatur autem hæc donatio pœnitentia donatoris. l. qui mortis causa. 30. C. de mortis causa donatio. Item fideicommisso. l. j. C. de donatio. causa mortis. Item finito periculo, cuius metu facta donatio est. Et morte donatarij, modò ea viuo donatore contingat. l. cùm quis. 12. D. de cōdictio. causa dat. l. non omnis. 19. in princ. D. de reb. credi. Item irrita fit hæc donatio per crimina capitalia post declaratoriam sententiam. l. si aliquis. 7. D. de mort. causa donatio. & ibi Castr. num. 1. Bart. in l. post contractum. 15. nu. 10. D. de donat. Nisi à marito vxori facta sit, l. sed si mors. 12. §. j. D. de donat. inter virum & vxor. And. Gayl. lib. 2. obser. obseruat. 19. nu. 7. An autem in hac donatione beneficii l. si vnquam. C. de reuocand. donat: locus sit, dubitandum nō est, si quidem reuocetur pœnitentia etiā nō susceptis liberis. Quod si non fuerint reuocata à patre, non reuocatur à liberis postea susceptis, nisi pro ratione Falcidiz, siue

ex

ex testamento siue ab intestato patri
 successerint. Quia vt in legatis etiam ab
 intestato Falcidiæ locus est, ex constitu-
 tione Diui Pij. l. filiusfam. 18. D. Ad leg.
 Falcid. sic etiam in donationibus cau-
 sa mortis ex constitutione Seueri non
 solum testato, sed etiam intestato do-
 natore. l. 5. C. ad leg. Falcid. l. j. §. si quis.
 D. quod legator. & l. 2. C. de donat. cau-
 sa mortis, quæ postrema lex est de hac
 donatione ab intestato facta. Reuoca-
 tur autem conditione ob rem dati re
 non secuta, ex sententiâ Cassianorum,
 quasi res mortis causa, veluti fiduciaria
 detur, vt reddatur, si conualuerit dona-
 tor, vel pœnitentia ducatur, vel morte
 donatarij præueniatur. l. Senatus. 35. §.
 ergò. D. de mor. cau. don. d. l. cùm quis.
 12. D. de condict. causa data. vel reuoca-
 tur vtli actione in rem, ex Sabinianos
 rum sententia, quasi tacito iure ad do-
 natorem dominium redierit, vel ab eo
 nunquam discesserit: ita tamen, vt con-
 iuncta vtriusq; Scholæ sententia, in ar-
 bitrio sit donatoris, vtrum cōdictione,
 an hac vtli in rem actione experi ri ve-

lit. l. qui mortis. 30. l. si mortis. 14. l. si mortis. 29. l. mortis causa 18. §. j. D. de mortis causa donationib. l. j. C. de donatio. quæ sub modo, Cuiac. tract. ad African. 2. mihi, fol. 52. eandem quoq; sententiam tenet Dom. Rosfredus Beneuentanus in quæstionib. Sabatinis. quæst. 9. nu. j. & 2. Non obstat, quod nemo rem suã condicit. §. sic itaq; discretis. Instit. de actio. Nam omnis rem suã quasi alienam condicit, si cōdicere eam quam vindicare malit. Cui. d. loco.

7 Deniq; ad finem huius capituli & illam inter mortis causa donationem, & donationem inter viuos differentiã adiiciendam esse putavi, quod à donatario mortis causa fideicommissum relinquere potest. l. ab eo. 9. C. de fideicom. l. cum pater. 37. §. j. D. de legat. 2. Non etiã à donatario inter viuos. l. cum qs. 37. §. pater. D. de lega. 3. Hinc in l. j. C. de donationib. causa mortis, additur hic modus, *Si mortis causa donatio perficiebatur*, id est, si duobus illis. (de quibus ea lege agitur) donabatur mortis causa. Nam si inter viuos non potuit alteri ab altero

altero fideicommissum relinqui: Nec potest igitur superstite esse actio fideicommissi: sed si donator post mortem alterius superstite directio portionem de mortui donatam voluit, ei accommodabitur utilis repetitio portionis eius, vt l. 3. C. de donat. quæ sub modo. Cum autem etiam à donatario mortis causa fideicommissum relinqui possit: Vulgò malè explicatur. dicta l. 1. C. de donatione mortis causa non de fideicommissio, sed quasi fideicommissio, id est, donatione causa mortis, quæ confertur in superstitem: & non de actione fideicommissi, sed de utili actione ex testamento, vbi tamen nullum proponitur fuisse factum testamentum. Cuiac. lib. 20. obseruat. cap. 6. Et tantum etiam de mortis causa donatione.

* * *



CAPVT. VI.

DE NON MORTIS CAU-

*sa donatione, eiusque
distinctione.*

Non mortis causa donatio est, quā quis sine mortis suæ metu in aliquem sub causa inter viuos confert. Omnis enim donatio, quæ fit sub causa absque metu mortis nō est mortis causa donatio. Idq; omni dubio caret. Est autem hæc donatio duplex. Aut enim fit causa nuptiarum: aut absq; nuptiarum causa. Neutra harum est propria siue simplex donatio. Quæ enim sub aliqua fit causa donatio, propria siue simplex donatio nō est. l. j. D. de donationib. Et quantum ad prioris generis donationem attinet, neq; sponsalitia largitas est donatio propria siue simplex, quia fit causa nuptiarum, quibus non secutis euanesceat. l. cum veterum. 15. & l. seq. C. de donat. ante nup. Neq; etiam

NON MORTIS CAU. DON. 62
etiam dos neque donatio propter nuptias simplex siue propria donatio est. l. illud. 20. §. ad hæc cum ante nuptias. C. de collationib. vide Cuius. in Nouel. 38. Quātum etiam attinet ad posterioris generis donationem, ea quoq; propria siue simplex donatio non est, vt ex cap. vlt. intelligetur.



CAPVT VII.

DE DONATIONE CAU. sanuptiarum facta.

SVMMARIVM.

- 1 Species donationis nuptiarum causa facta.
- 2 Qui sponsalitia largitas: & quod inter illam & donationem propter nuptias discrimen.
- 3 Qua actione reuocetur res donata, si hæc euanescat donatio.
- 4 Quid dotis constitutio: quando sit contra-

Etus, quando verò non.

- 5 *Dos quæ nō ab ipsa muliere, sed alio datur vel profectitia est, vel aduentitia.*
- 6 *Donatio dotis etiā à patre in filium famil, conferri potest.*
- 7 *An dotis sint vestes & res pretiosa, quas pater tempore nuptiarum filia donauit.*
- 8 *Dos licet excedat 500. solidorum summā, insinuationem tamen non requirit.*
- 9 *Quid donatio propter nuptias, à quibus, in quos & quando fieri possit: Et quod eius varia sint nomina.*
- 10 *De aequalitate inter dotē & donationem propter nuptias seruanda.*
- 11 *Hæc donatio an requirat insinuationem si quingentos excedat solidos.*

1 **D**ONATIO quæ causa nuptiarū facta dicitur, vel est sponsalitia largitas, vel dotis constitutio, vel donatio propter nuptias, quæ omnia vno communi nomine sponsalia dicuntur. Cuiac. in paratit. in Cod. tir. de donation. ante nupt. in fin. sic sponsalia largitas dicitur sponsalia, in l. 3. C. d. t. Et

1. Et dos dicitur sponsalitia largitas in l. 4. C. de secundis nupt. l. prædia. 8. C. de prædiis minor. Item donatio propter nuptias appellatur quandoque sponsalitia largitas, ut in Nouel. 22. capit. sed à nobis. 18. & ca. seq. ibi, *aut sponsalitia largitatis*. Item ca. deinceps autem. 20. ibi, *sponsalitiā verò largitatē*. & cap. sequ. ibi, neque super sponsalitia largitate. Propriè tamē & specialiter hæc tria differunt inter se.

2 Sponsalitia largitas est donatio, quæ fit à parte sponsi in sponsam, aut contra. Et non secutis nuptiis, si culpa accipientis, euanescit: si verò sponsi aut sponsæ morte, quod datum est à parte sponsi osculo interueniente, pro parte dimidia per defuncti heredes repetitur. Quod verò datum est à parte sponsæ, interueniente vel non interueniente osculo, totum infirmatur. Dico *donatio* ex l. si ante. 8. ibi, *donauit*, & duabus legibus sequent. l. cum veterum. 15. & l. sequen. C. de donationib. ante nupt. Ex iisdem illis & præsertim postremis duabus legibus reliqua definitiōis pars de-

sumpta est. Sed videtur huic definitioni quædam ob stare, quæ nunc diluenda sunt. sponsalitia largitas est quandoque propria donatio. l. j. §. fin. D. de donat. l. si ante. 3. l. cum te. 9. & l. seq. C. de donationib. ante nupt. Ergo non euanesceat non secutis nuptiis. Item hic malè refertur sine distinctione inter non proprias donationes. Sed sciendum est, olim quidem donationem inter sponsum & sponsam celebratam quandoque propriam fuisse donationem, quandoque impropiam: sed ea hodie semper intelligitur fieri contemplatione & causa futuri matrimonij. l. cum veterum. 15. & ibi Barto. C. de donationib. ante nupt. Neque tamen hinc inferendum est, sponsalitiâ largitatem nihil differre à donatione propter nuptias. Nam & dos fit causa matrimonij futuri, cum tamē dos à donatione propter nuptias differat, ut ex seqq. apparebit. Distinguitur autē sponsalitia largitas à donatione propter nuptias in eo quod hæc fit propter dotis dationem: illa non item. §. sed nos plenissimo. Institut. de donation. l. vlti. §. san-

§. sancimus. C. de donation. ante nupt.
Item quod hæc sit à sola parte mariti. il-
la verò & à parte mariti, & à parte vxor-
is fieri potest. l. cùm veterum. 15. in fin.
C. d. titu.

3 Quoniam verò certis casibus e-
uanescit, & infirmatur hæc donatio,
quo remedio illa donatę rei redhibitio
fieri solet? Constantinus Imperator in
d. l. cùm veterum. 15. C. d. t. docet, quod
illa fiat vel per cõditionem, vel per vti-
lem actionem in rem.

4 Sequitur de dotis constitutione.
Dotis cõstitutio est donatio, quæ à par-
te vxoris, ad sustinenda facilius matri-
monij onera in virum vel ante, vel post
nuptias cõfertur. Dico *Donatio* ex l. vlti.
§. j. ibi, *propter dotis donationem*. C. de do-
nat. ante nuptias. Ea autem donatio est
contractus. l. contractus. ibi: Item dotis
datio. D. de regu. iur. l. exigere. D. de iu-
dic. Sed si fiat rei ipsius traditione, vel
stipulatione, non etiam si dos cõstitua-
tur pacto vel pollicitatione, quomodo
etiam dos constitui potest. toto titu. C.
de dot. promis, & nuda pollicitat. Dico

E

præterea *Quæ à parte uxoris*, non etiam dico, *Quæ ab uxore*. Dos enim quandoque etiam ab alio quàm uxore marito datur. l. si constante. 19. C. de donatione ante nupti. & l. ex morte. 9. C. de pact. conuen.

§ Hinc dos quæ ab alio quàm uxore datur, vel est profectitia, vel aduentitia. l. 5. in principi. & §. si quis certam. ver. vlti. D. de iure dot. Vlpian. in fragmentis titul. 6. Profectitia dos est, quæ à patre profecta est, de bonis vel facto eius: quam scilicet vel ipse pater, aut auus ex bonis suis dedit, vel quæ ab alio administrationem habente data est ex bonis patris aut aui, vel etiã quam extraneus intuitu & occasiõe patris ex bonis suis propriis dedit. d. l. 5. D. de iure dot. Aduentitia dos est, quæ aliunde, quàm à patre, aut eius intuitu datur. Vlpianus in fragment. d. titu. 6. Et hæc distinctio ociosa non est, sed suos indistinctis mēbris diuersos habet effectus Barto. Fulgosi. & alij in dicta l. profectitia. 5. D. de iure dot. Profectitia enim dos in collationem venit: sed aduentitia nō itē. l. 1. l. 3. vbi

l.3. vbi Barr. & Doctores. D. de dot. col-
lat. l. vnic. §. videamus. C. de rei vxor. a-
ctio. Sunt & aliæ profectitiæ & aduen-
titiæ dotis differentiæ, quas diligens le-
ctor vbique in libris nostri iuris obser-
uare poterit, præsertim sub tit. D. de iu-
re dot. & tit. soluto matrimonio.

6 Licet autē simplex donatio inter
parētes & liberos in sacris eorū consti-
tutos irrita sit, tamē dotis causa filiabus
suis rectē parētes donāt, l. Pomponius,
35. D. famil. eriscun. Hæc enim nō sim-
plex donatio est, l. illud. 20. §. adhæc cū
ante nuptias. C. de collationibus. Dico
præterea *Ad sustinenda facilius matrimo-
nii onera* ex l. dotis fructuum. 7. l. quam-
uis. 75. & l. seq. D. de iure dot. l. pro om-
nibus. 20. C. d. tit. Vtrum autem ad ma-
ritum an verò vxorem rei dotalis domi-
nium pertineat. dixi in tractatu ad l. cō-
tractus. D. de regu. iur. cap. 4. nume. 10.
Dico postremò, *In virum vel ante vel
post nuptias confertur*, ex §. sed nos ple-
nissimo. Institut. de donationib. & l. cū
multæ. 20. vers. Quare enim dotem. itē
ver. sancimus itaq; C. de don. ante nup.

7 Non solum autē dotes sunt, quæ principaliter in dotem dātur, sed & vestes & res pretiosæ, quas pater nuptiarū tempore filiæ donauerit. Vnde filia has etiam sicuti ipsam dotem conferre tenetur. And. Gayl. lib. 2. obserua. practi. obseruat. 91. num. 5. & 6.

8 Dos autem licet excedat quingentorum solidorum quātitatem, in sinuationem tamen, vt propria donatio, non requirit. l. vlti. §. j. & ibi Cyn. num. 4. C. de iure dot. Iacob. Cuiac. ad Nouel. 119. Non obstat Authē. eò decursum. C. de donatio. ante nuptias. Loquitur enim non de dote, sed donatione propter nuptias, quæ, vt ibidem dicitur, separata species est à dote & aliis donationibus. Ex separatis autem nihil infertur necessariò. l. Papinianus. 20. D. de minorib. l. vltim. D. de calumniatoribus. Sed potius de diuersis diuersum ius statuendum. argumento l. 2. §. idem Iulianus. D. de eo quod certo loco. Quod autem d. auth. eò decursum sit. de donatione propter nuptias, ex eo constat quod desumptum est ex d. Nouel. 119. quæ est de donatione

donatione propter nuptias, & perperā
 inscribitur, *Ut sponsalitia largitas*, &c. re-
 ctè verò *de donatione propter nuptias*, &c.
 Duar. ad tit. soluto matrimo. cap. de do-
 nat. propter nup. & Cuiac, dict. Nouel.
 119. plura de dote, veluti: An dotis pri-
 uilegium habeat locum in dote cōfessa
 ra. Dote constituta an omnia bona vxor-
 is in dotem data censeantur. De dote
 cōstante matrimonio ob viri inopiam
 repetenda. An mulier obærato marito
 scienter nubens, an dotem constante
 matrimonio repetere possit. Maritus
 locupletior factus an dotē ex causa ino-
 piæ restitutam repetere possit. An bo-
 nis mariti confiscatis vxor dotem suam
 saluam habere debeat. Dote promissa
 & non soluta, an maritus vxorem alere
 teneatur. An pater filiam spuriam dota-
 re possit, vide And. Gayl. lib. 2. obserua.
 obserua. 81. & octo seqq. obserua.

9 Succedit nunc donatio propter
 nuptias, donatio propter nuptias est,
 quæ à parte mariti vel ante vel post nu-
 ptias in vxorem propter dotis donatio-
 nē confertur. Dico, *Quæ à parte mariti.*

Non solum enim ipse maritus in vxorē hanc donationem conferre potest. sed & pro eo quilibet alius Nouell. 119. in prin. l. si constante. 19. C. de donation. ante nuptias. Et huius donationis causa consistit donatio inter patrem & filiumfam. And. Gayl. lib. 2. obser. pract. obserua. 38. num. 13. Non enim simplex donatio est. l. illud 20. §. adhuc cum ante nuptias. C. de collationib. Dico præterea. *Vel ante vel post nuptias*, ex l. vlti. in prin. & §. sancimus. C. de donatio. ante nup. §. sed nos plenissimo. Insti. de dona. Dico postremò *propter dotis donationem* ex d. l. vltim. §. sancimus. C. de donationib. ante nupt. & d. Nouel. 119. in princip. cum simili. Hæc donatio in diuersis locis diuersa habet nomina in Flandria vocatur Duaria. In Sabaudia dicitur Dotarium. In Francia appellatur aliàs Doarium, aliàs Superuita. Nicol. Euehard. consi. 217. numer. 3. Vocatur etiam Dotalitium, vt in ca. plerumque. de donatio. inter vir. & vxorē. vbi gloss super verb. Dotalitium. item Panormitanus & alij Canonistæ. Dicitur quoq;

quoq; Antiphrona in l. cum multæ. 20.
in prin. C. de donatio. ante nup. Et vul-
gò Germanicè appellatur *Ein Gegen-
vermachung / oder leibgeding.*

10 Summa autem æqualitas inter
dotem & donationem propter nuptias
iure ciuili scripto seruanda est, non so-
lùm in cõstitutione & præstatione, sed
etiam pactis in tãtum, vt licet quis am-
plius sit pactus, pactio restringatur, &
redigatur ad æqualitatem. l. ex morte.
& l. sequen. item auth. æqualitas. C. de
pact. conuen. l. vlti. §. sin autem. iuncto
Auth. dos data. C. de donat. ante nupt.
Nouel 97. cap. i. An autem lucrum do-
tis locum habeat in dote promissa. Itẽ
an statutum de lucro dotis haheat locũ
in sponso, vide Andr. Gayl. lib. 2. obser-
uat. cap. 79. & sequen. Et si autem æqua-
litas in dote & donatione propter nu-
ptias iure ciuili scripto sit seruanda. Ge-
nerali tamen omnium ferè locorũ con-
suetudine qualitas illa non attenditur.
Andr. Gayl. d. lib. 2. practicar. obseruat.
obserua. 78. num. 2. & seqq. & numer. 5.
adfert quandam cautelam, qua effici-

potest. vt etiam de iure communi inæ-
qualitas dotis & donationis propter
nuptias subsistat.

11 Hæc donatio etiam insinuatio-
nem desiderat, si excedat quingētos so-
lidos, quæ tamen omissa viro tantum,
non etiam mulieri periculum creat. l.
vlti. §. simili quoque modo. C. de iure
dot. Nouel. 127. Olim quidem hæc do-
natio indistinctè erat insinuanda, nisi
collata fuisset in matrem famil. minorē
25. annis. l. minoribus. C. de dona. ante
nupt. l. sancimus. §. aliàs verò. C. de do-
natio. d. l. vlt. §. simili quoque. C. de iu-
re dot. postea verò hoc ius sublatū fuit
Iustiniani cōstitutione, qua neq; ex par-
te viri, neq; ex parte vxoris hæc donatio
insinuatione egebat. Nouel. 119. c. j. De
niq; verò Iustinianus hoc nouū ius rur-
sus ex parte sustulit, constituens, vt hæc
donatio egeret insinuatione ex parte vi-
ri, id est, quatenus pro rata donationis
propter nuptias vir lucrū captat ex do-
te, non ex parte mulieris. d. Nouel. 127.
Et tantum etiam de donatione, quæ fit
causa nuptiarum.

CAP



CAPVT OCTAVVM.

DE NON PROPRIA DO

donatione, quæ sine causa
nuptiarum cele-
bratur.

SVMMARIVM

- 1 Donatio, quæ sine causa nuptiarum exer-
cetur, quomodo fiat.
- 2 Donatio remuneratoria inter patrem &
filium, item inter coniuges rata est: &
in Rempulicam ob honorem, vel incē-
dium, vel aliū casum, quē ciuitas pas-
est, facta etiā sola pollicitatione valet.
- 3 Donatio remuneratoria irrevocabilis est,
nec insinuationem requirit: licet exce-
dat quingentos solidos.
- 4 Requisita remuneratoria donationis.
- 5 Remuneratoria donatio à principe facta
duobus, vter potior sit in donatione.
- 6 Ob futurū factum quomodo fiat donatio:
Et quod ea donatio sit contractus.

E 5

1



DONATIO quæ sine cau-
sa nuptiarum exercetur
vel ob præteritā causam
in aliquē confertur, vel
ob causam futuram. Ob
præteritam causam, veluti si quid do-
nem alicui, quod me ab hostibus & la-
trunculis eripuit. l. si pater. 34. §. j. D. de
donatio. Vel si donem præceptorī meo
quod me scientia & diligentia melioriē
reddidit. l. Aquilius. 27. D. d. t.

2 Et hæc remuneratoria donatio
inter patrem & filiū rata est, vt probat
authoritatibus & rationib. And. Gayl.
libr. 2. obseruat. practicar. obseruat. 38.
nu. 5. Vide etiam Bar. in l. frater à fratre.
D. de condi&ct. indeb. nu. 57. & Iasonem
in l. si donatio. C. de colla. vbi de hac do-
natione inter patrē & filiū scitu digna
tractat. Itē rata est inter cōiuges. Nicol.
Euerh. consi. 60. nu. 8. & 10 Franciſ. Vi-
uius lib. j. cōium opinio. sub litera. D.
vbi plures de donationib. cōes opinio-
nes pponit. Eiusmodi autē est recipro-
ca donatio, quæ collata in tēpus mortis
valet. Mynsing cent. 2. obserua. 33. And.
Gayl.

DON. QVÆ SINE CAUSA, &c. 75
Gayl. obserua. practi. lib. 2. obser. 8. nu.
3. & obser. 40. nu. 7. Nicol. Euerh. consi.
199. nu. 9. & cons. 119. nu. 21. Talis est e-
tiam donatio, quā maritus senex vel i-
gnobilis cōfert in vxorē iuuenē vel no-
bilem. Tyraquel. de nobilit. c. 18. nu. 19.
Iul. Clar. in §. donatio. q. 9. vbi hoc de-
clarat & limitat And. Gayl. lib. 2. obser.
obserua. 40 in fi. Nicol. Euerh. cons. 60.
nu. 8. Item facta hæc donatio etiam so-
la pollicitatione in Rempubicā ob ho-
norem, vel incendium, vel aliū casum,
quem ciuitas passa est, valet. l. hoc iure
vtimur. 19. D. de donatio. & toto tit. D.
de pollicitatio.

3 Porro hæc donationes remunera-
toriæ irreuocabiles sunt, nec insinua-
tionem requirunt, licet excedāt quin-
gentorū solidorū quantitatē. d. l. si pa-
ter. & d. l. Aquilius. vbi gl. Pau. de Cast.
Ioā. de Imola & alij Dd. D. de donatio.
Nicol. Euerh. consil. 60. nu. 10.

4 In his tamen donationibus re-
muneratoriis in primis necesseriū est,
vt in instrumentis causæ meritorū ex-
pressè specialiter & nominatim inferā-

76 CAPVT VIII. DE NON PROP.
tur: alioquin non aliter vires habebūt,
quàm si donatarius merita probare pos-
sit, Iulius Clarus lib. 4. §. donatio. quæ-
stion. 3. numer 2. Mysing. cent. 4. obser-
uatio. 35. & Barto. in l. frater à fratre. D.
condictione indebiti. numer. 57. tradit,
quod donatione remuneratoria à pa-
tre filio facta, non sufficiat dicere in in-
strumento, quod hoc fecerit parēs pro-
pter merita, nisi merita probarētur, per
l. si forte. D. de castren. pecu. & l. si dona-
tione. C. de collatio.

5 Quod si autem Princeps aliquis
donet alicui ob bene merita castrum,
vel quid aliud, postea verò idem illud
alteri bene merito donet, quis horum
donatariorū potior erit? Hanc quæstio-
nem tractat And. Gayl. lib. 2. obseruat.
obseru. 55. & docet, quod prior donata-
rius præferatur posteriori.

6 Ob futurā autē causam fit donatio,
si decē Titio donē, vt Stichū emat. l. 2.
§. Titio. D. de dona. Vel si donē Mæui-
cētū, vt Titiū manumittāt. l. Aristo. 18.
§. j. D. d. t. Et hæc donatio est contractus
l. 2. & 3. C. de condict. ob caus. dat.

REPE-



REPETITIO LEA

Q V AE. 4. C. DE CON

dict. indebit. & §. vlti. Instit. de

obligat. quæ quasi ex con-

tract. nasc

Quædam sunt actiones, quæ ex inficiatione in lite crescunt in duplum, velut actio damni iniuria, ex lege Aquil. l. inde Ne-
rarius. 23. §. hæc actio. D. ad legem Aquil. l. item veniunt. 20. §. cum prædiximus. D. de petit. heredit. l. 4. C. de leg. Aquil. §. ex maleficiis. versi. sed & legis Aquiliæ. Instit. de action. Et ante Iustinianum actio legatorum per damnationem relictorum hodie actio omnium legatorum. quæ pietatis intuitu relictæ sunt. §. vlt. Insti. de obliga. quæ ex quasi contract. nasc. & d. §. ex maleficiis. Institu. de actio. Item actio depositi, si agatur eo nomine, quod tumul-

78 REPET. L. EA QVÆ. C. DE
tus, incendij, ruinae, naufragij causa de-
positum sit. §. rei persequende. & §. sed
furti, ibi, *Et interdum deposit.* Insti. de act.
Item actio iudicati. Paul. lib. j. sentent.
tit. 19. vbi Cuiacius. & facit l. j. C. de cō-
dict. indebit. vbi in Paratit. idem etiam
Cuiac. hoc docet lul. Paulus d. lib j sen-
ten. tit. 19. & lib. 2. tit. 17. addit quoq; a-
ctionem ex empto, si veditor de modo
agri mentitus sit, atque ita emptor de-
ceptus. Idq; confirmat Cic. lib. 3. de offi.
Nam, Inquit, cū ex duodecim tabulis
satis esset ea præstari, quæ essent lingua
nuncupata, quæ inficiatus esset, dupli
pœnam subiret. Sed in libris Instiniani
non inuenitur scriptum, nisi simplici-
ter ex empto actionem esse. l. 2. D. de a-
ctio. empt. Porro his actionibus si quis
falsò putet se teneri, & per errorem ex
his causis indebitum soluat, repetere
id quod soluit, non potest. §. vlti. Instit.
de obliga. quæ quasi ex contra. nasc. l. 4.
C. de condict. indebit. & facit l. elegan-
ter. 23. §. vlti. D. d. tit. lbi Vlpian. Iuriscō
sultus. Si qua lex, inquit, ab initio dupli
vel quadrupli statuit actionem, dicen-
dum

dum est solutum ex falsa eius causa repeti posse. Ait, ab initio, ut significet secus esse, hoc est, cessare repetitionē, si nō ab initio. sed postea duplici actio statuatur, quod fit in prædictis causis ex inficiatione in lite, ut antea ostendi. Hanc iuris definitionem alij aliter explicant: & exemplis declarant. Martinus antiquus glossator, teste Angelo de Perus. in d. l. 4 C. de condict. indeb. interpretatur eam de vero debitore, nō tamen tantæ quantitatis, quantum ipse per errorem soluit. Nam Angelus Martini sententiam referens. Sed, inquit, Martinus fuit in opinione, quod debitum erat ab isto solvente, licet non in tanta quantitate & dicit aliter nō posse intelligi hanc legem. Hæc Angelus: Martini itaque sententia huiusmodi requirit exemplum. Titius sua culpa equum Sempronij deterioravit: cōuentus itaq; à Sēpronio priuatim in viginti nomine illius damni, vltro ipsi viginti soluit. Postea autē cognouit dānū esse dūtaxat decē florenorū. Quare ad repetēdos reliquos decē, instituit cōdictio-

80 REPET. L. EA QVÆ. C. DE
nem indebiti aduersus Sempronium.
Quæstionis est itaq; an Titio Sempro-
nium ad reddendos decem florenos
indebitè solutos iudex condēnare pos-
sit? Et quia ex ea causa, ex qua inficien-
do lis crescit, Titius indebitum soluit,
repellere ipsum iudex à limine iudicij
debet. Iudicem enim non aliter iudica-
re oportet, quàm legibus, aut constitu-
tionibus aut moribus proditum est. §.
1. Instit. de offic. iudi. Auth. iubemus,
in fine. C. de iudic. Sed iuris certissimi
est, ea quæ per inficiationem in lite cre-
scunt, ab ignorante etiam indebita solu-
ta repeti non posse. d. l. 4. C. de condict.
indebit. & d. §. vltim. Insti. de obligatio-
nibus quæ ex quasi contract. Cæterum gloss.
in d. l. eleganter. 23. §. fin. D. de condict.
indebit. interpretatur definitionem. d.
l. 4. C. d. t. & d. §. vlt. Insti. de oblig. quæ
quasi ex contract. nasc. de casu quo sol-
uo tibi indebitum per errorem emen-
dando damnum ab alio datum. Et glo.
secutus est Cyn. Bald. Angel. & alij in d.
l. 4. C. de cōdict. indeb. Bal. huiusmodi
exemplis rem illustrat. Filius, inquit,
meus

meus dedit damnum. Ego credens me teneri noxaliter, promisi & solui, cum reuera non tenear. §. fin. Institut. de noxalib. actio. Certè non repetā. Et postea aliud producens exemplum. Mandauit, inquit, procuratori meo, vt daret tibi damnum, quod tamen alius dedit, non procurator meus. Ego credens datum à meo procuratore solui vel caui. Et nō condicam. At Franciscus Hotomanus in dicto §. vltimo. Institut. de obligatio. quæ ex quasi contractu nasc. alteram illam Doctorum sententiam iniquitatis plenissimam esse rectè existimans, duo alia exempla adducit, quorum prius est de his, quæ legata quidem erant, sed nō debebantur, veluti quæ supra id, quod per legem Falcidiam licet, legata sunt pietatis intuitu. Posterius exemplum est de damno dato, quod vtrum iniuria soluentis datum sit, necne, haud constat.

Cum itaque tam varij & diuersi sint huius quæstionis censores, non immeritò eam obscuram esse quis dixerit. Sed quicquid censerint hi, quo.

F

82 REPET. L. EA QUÆ, DE
rum memini, nihil ex eorum traditio-
nibus occurrit, quod fide dignum exi-
stitem: siquidem partim iustitiæ & æ-
quitati naturali, partim verò iuris ciui-
lis regulis repugnare intelligam.

Quod enim attinet ad Martini vete-
ris glossatoris opinionem, ea profecto
æquitati consona dici nequit: vt nec
glossæ Cyni, Baldi, Angeli, & aliorum
censura. Generaliter enim pro regula
traditum est, quod non debeat per al-
terum alteri iniqua conditio inferri. l.
non debet alteri. D. de regulis iuris. I-
tem quod natura æquum sit, neminem
cum alterius detrimento fieri locuple-
torem. l. iure naturæ. D. de regulis iur.
l. nam hac natura D. de condiction. inde-
biti. Et in specie de condictione inde-
biti proditum est, quod illa ex bono &
æquo introducta sit, vt quod alterius a-
pud alterum sine causa deprehenditur,
renocetur. l. hæc conditio 66. D. de cō-
dictione indebiti.

Quocirca siue plus debita quanti-
tate per errorem soluerim, vel solue-
rim ex ignorantia, quod non ipse debeo.

led

sed alius debet, iure naturæ. & ex bono
& æquo repetere, quod indebitè solui,
potero, quavis etiam ex causa solue-
rim, nulla item habita ratione eius cui
solui Nam ius naturæ, quo, vt dixi, in-
debitè solutum repeti potest, semper
& vbique æquum & bonum est. l. pen.
in princip. D. de iustit. & iur. Sed quid
iniquius est, quàm si cùm legatum à
me nihil esset; putarem autem centum
testatorem à me legasse centum alicui
soluerim, & illum retinere, quod alie-
num est, & me, quod meum est iniu-
ria possidere, ex hac sola causa, quia si
legatum fuisset, & inficiatus essem, in
duplum irem? At, inquis, Ecclesiæ re-
lictum est legatum, à qua pietatis & re-
ligionis ratione repeti non deber.

Quid ais? Ecclesia est mater, est cul-
trix & auctrix iustitiæ, & non patitur
contra iusticiam aliquid fieri in se vel
in alterum. cap. vn. De alien. feud. lib. j.
feudor.

Porro quid iniquius est, quàm si
cùm seruum tuum non vulnerassem:
vulnerasse autem me putarem, decem

eo nomine dederim, idcirco me illa perdere, quia si vulnerassem, & postea inficiatus fuisset, in duplum damnerer? Sed ita lex scripta est, dicis, quæ seruari debet, quamuis dura videatur. l. prospexit. 12. §. j. D. qui & à quibus manum. lib. non fiunt. Et liberum nobis non est iudicare de legibus, sed oportet iudicare secundum ipsas. cap. erit autem, & cap. sequent. distinct. 4. & l. & ideò. 21. D. de legib.

Verum quidem illud est, vbi non manifesta & quam ipsæ leges ostendunt, iniquitas apparet, sed aliquibus fortè propter vnā atque alterā rei ipsius circumstantiam, vel etiam in genere lex dura videtur, cū tamen sua æquitate non careat. Sed quia vniuersum ius est ars æqui & boni. l. j. in princip. D. de iust. & iur. Et in omnibus quidem, maximè in iure æquitas spectanda sit. l. in omnibus. 90. D. de regu. iur. non est putandum eam esse mentem legislationis, de qua hīc agimus, quam supra relati iuris interpretes ipsi affingunt: quippe quæ iuris artem ini-

qui.

quitatis & iniustitiæ arguit, & falsum
 esse ostendit, quod Iuriconsultus di-
 xit, ius esse artem æqui & boni: item
 spectari æquitatem in iure, hoc est, ut
 ego interpretor, in loco, ubi ius reddi-
 tur & leges constituuntur, quæ signi-
 ficatio quandoque est vocis illius. l. pe-
 nultim. D. de iustitia & iure. & l. 4. §. j.
 & toto titulo. D. de interrogat. in iure
 faciend. Et ius dicit siue redait, qui ius
 condit & constituit. toto titul. D. quod
 quisque iuris in alter. stat. &c. Quocir-
 ca cum alius & iustitiæ æquitati & scri-
 pto iuri consonus intellectus eius de
 qua agimus, sanctionis, haud obscu-
 rè ostendi possit, quem paulò post,
 ut æquus censor proferam, non erit fe-
 renda, quamuis communis Doctorum
 iniusta & iniqua explicatio. Præterea
 quod attinet ad Baldi primum exem-
 plum, & ad prius exemplum Francisci
 Hotomani, utrumque iuris regulis im-
 probatur.

Sunt enim ambo exempla de iis, quæ
 iuris errore indebitè soluta sunt, ut ipsi
 latentur. Sed textus, de quorum intel-

36 REPET. L. EA QUÆ DE
lectu hîc laboramus, continent excep-
tionem quandam eius regulæ com-
munis, qua dicitur, Id quod per errorem
indebitè solutum est, cōdici potest. Ea
autem regula de eo loquitur, quod per
errorem facti indebitè solutum est. Nā
iuris errore solutum, licet indebitum
sit, reperi non potest. l. fideicommissum.
7. C. de conditione indebiti. l. cū quis.
10. C. de iuris & facti ignorantia l. si nō
sorrem. 26. §. indebitum. D. de condic.
indebiti. l. error. 9. C. ad legem Falci-
diam. & l. regula. 9. §. si quis ius ignorās.
D. de iuris & facti ignorantia. Nec ob-
stant l. 7. & 8. D. dict. titul. Nam ex acci-
piendæ sunt de alia specie, quàm de cō-
ditione indebiti vt rectè monet Char.
in notis ad dictam l. cum quis. 10. D. de
iuris & facti ignorantia. Quare de eo-
dem facti errore intelligenda est hæc,
de qua agimus. exceptio. Quippe cū
exceptio sit de regula, & regulā decla-
ret. Dec. Cagno. & alij in l. prima. D. de
regulis iuris lason in l. singularia. 15. §.
sed ad hoc. nume. 12. D. de rebus credit.
Proinde, quæ mihi horum textuū sen-
tentia

sentia esse videtur, nunc aperte exponam. Dioclerianus & Maximian Imperatores in dictal. 4. C. de condictione indebiti Ea, inquit, quæ per inficiationem in lite crescunt, ab ignorante etiam indebita soluta repeti non posse certissimi iuris est. & Iustinianus Imperator in dicto §. ultimo Institut. de obligationib. quæ ex quasi contractu nasc. Definierunt, inquit, veteres, ex quibus causis inficiando lis crescit, ex iis causis non debitum solum repeti non posse. His locis Imperatores non dicunt. Ea quæ per inficiationem in lite crescere possunt. Nec, ex quibus causis inficiando lis crescere potest. Sed dicunt, per inficiationem in lite crescunt. Et inficiando lis crescit. Quare non sunt exaudienti de casu, quo ex prædictis causis nondum lis crescit, sed quo iam crescit per inficiationem, siue inficiando lis siue res, de qua agitur. Crescit ex prædictis causis lis per inficiationem siue inficiando, si reus in iudicium deductus, & à iudice vel actore coram iudice, ante litis contestationem interrogatus, utrum

depositum acceperit, vtrum damnum dederit, vtrum legatum aut fideicommissum præstare iussus sit, necne, statim hæc neget. In iudicio (vt rē plenius & clarius exponā) huiusmodi interrogationes fieri solent, vel ab ipso iudice, vel à parte litigante apud iudicem. l. si sine. 9. §. primo. l. 4. §. primo. & toto titulo. D. de interrog. in iur. fac. Speculator libro secundo, titul. de positionib. §. 3. numero 3. Et quidem vel ante litis contestationem, etiam post porrectionem libelli, si ad litis ordinationem, siue præparationem pertineant. Speculat. dicto libro secundo, titul. de interrogat. nume. 7. & Maranta parte 6. dict. titu. in principio, & Petr. Jacob. Aurel. in practic. libellor. Rubric. 74. numero 9. Ferrar. in practic. in forma interrogationis, ad verb. Quatenus ex officio vestro, numero 3. & facit l. si curaroris. C. de iure deliberandi. & l. vbicunque. 21. D. de interrogatio. in iur. fac. Vel si non pertineant ad litis præparationē, quandoque etiam post litem contestatam fieri possunt. dicta l. vbicunque c. 21.

D. d. t.

